
De Hymenaeo et Talasio, dis veterum nuptialibus...

Richard Schmidt


1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE

DE HYMENAEO ET TALASIO

DIS VETERUM NUPTIALIBUS.

Dissertatio inauguralis

quam

consensu et auctoritate amplissimi philosophorum ordinis

in universitate Christiana Albertina

ad summos in philosophia honores rite capessendos

una cum thesibus

die XXII mensis Maii anni MDCCCLXXXVI hora XII

publice defendet

Richardus Schmidt

Hamburgensis.

Adversarii erunt:

H. Dittrich, cand. med.
C. Harder, Dr. phil.
W. Hartmann, cand. phil.
C. Reuter, cand. phil.

Kiliae.

Ex officina H. Fiencke

1886.

Imprimatur:

A. Stimming,

h. t. prodecanus.

RICHARDO FOERSTER.



Tenebrae, quibus Graecorum Romanorumque coniugiorum notitia multa per saecula obruta iacebat, nostra demum aetate summa doctorum virorum opera paullulum sunt summotae et diffusae. Multae tamen remansere res praecipue Graecorum matrimoniorum ad hunc usque diem nondum satis explicatae. Haud alia qua coniugia nuptiae, limina quasi matrimoniorum, usae sunt fortuna; habemus scilicet nonnullos libros de ritibus nuptialibus conscriptos, de origine autem eorum ac vi pauca admodum certa scimus.

Eadem res est in dis, qui auctores sponsoresque nuptiarum a veteribus existimabantur, in Hymenaeo et Talasio. Ac multi quidem de iis fecerunt verba, pauci autem, ut nobis videtur, rem feliciter tractarunt.[1] Nostra enim opinione Talasii tantum origo naturaque recte perspecta est a Prellero. At cum hic opinionis suae speciem et formam brevissima annotatione adumbraverit, de Hymenaeo vero quae tradita sunt, omnino non sint accurate collecta et examinata, novam de utroque deo quaestionem instituentes rem haud inutilem nobis aggredi videmur.

Agemus autem de dis nuptialibus ita quidem, ut primo loco afferamus fabulas de iis a veteribus traditas, deinde exponamus deorum originem et naturam, denique loquamur de eorum imaginibus.

---

[1]) Köhler, eclogae archaeol. de Hym. et Talas. Lubecae 1757; Schneidewin, Rhein. Mus. II p. 116 sq.; Hartung, Relig. d. Röm. II p. 245 sq.; Bode, Gesch. d. lyr. Dichtk. d. Hell. I, 5; Baumstark in Paulyi R. E. s. v. Hym.; Rossbach, Unters. üb. röm. Ehe pp. 330, 345 sq. — röm. Ehedkmlr., passim; Huschke, osc. u. sabell. Sprachdkmlr. Sab. tit. IV; Welcker, gr. Götterl. III pp. 195 et 233; Mercklin, Ind. schol. Dorpat. 1860 p. 14; Dilthey, Annal. d. Inst. vol. XLI, sarcofaghi di Medea p. 22. sq.; Preller, gr. Mythol. II p. 245 sq. — röm Mythol. II p. 216.

Ac primum quidem dicamus de Hymenaeo!

I. De Hymenaeo.

In fabulis, quae apud veteres de Hymenaeo ferebantur, enarrandis est sane maxime respicienda aetas fabularum ipsarum. Iure autem fabulae totam per Graeciam pervulgatae anteponuntur iis, quae ad certum arteque circumscriptum locum spectant.

Quem si servamus rerum ordinem ac rationem iam nobis agendum est de quattuor quasi fabularum orbibus. Sunt enim afferendae primum fabulae, quae Hymenaeum Musa genitum perhibeant; deinde quae praematura eum morte raptum tradant; sequuntur fabulae, quibus liberator virginum e praedonum potestate dicatur, denique eae, quae filium Bacchi Venerisque fuisse narrent. — His fabulis asserendae sunt deinceps quaedam minoris momenti ad unum tantum locum respicientes.[1])

At priusquam fabulas ipsas aggrediamur, breviter quaeramus, quonam tempore ortus sit Hymenaeus deus.

Primum nobis occurrit *ὑμέναιος* vox apud Homerum Il. XVIII v. 493.[2]) Describitur in scuto Achillis nuptiarum celebratio:

ἐν τῇ (πόλει) μέν ῥα γάμοι τ' ἔσαν εἰλαπίναι τε.
νύμφας δ' ἐκ θαλάμων δαΐδων ὕπο λαμπομενάων
ἠγίνεον ἀνὰ ἄστυ· πολὺς δ' ὑμέναιος ὀρώρει.

Hinc sumpta sunt quae leguntur apud Hesiodum scut. Herc. v. 274.

τοὶ μὲν γὰρ εὐσσώτρου ἐπ' ἀπήνης
ἦγοντ' ἀνδρὶ γυναῖκα, πολὺς δ' ὑμέναιος ὀρώρει.

Utroque igitur loco *ὑμέναιος* cantum nuptialem, non deum nuptiarum significat. Minime autem recte iudicasse nobis vi-

---

[1]) Meras Hymenaei vocis explicationes a grammaticis prolatas iure hoc loco omisimus, cum nec fabulae sint nec fabularum partes. Huc referimus Etym. Magn. s. v. *Ὑμέναιον δοξασθῆναι γήμαντα*; Serv. ad Verg. Aen. I v. 651. H. deus nuptiarum; Comment. Floriacens. ad Verg. Aen. IV. v. 127. nuptiarum inventor; Isidor. etym. IX, 22. H. qui primus nuptiis prospere usus est.

[2]) Cf. Müller, Dor. I, p. 348 not. 1.

dentur, qui his duobus locis nisi Hymenaeum deum fuisse illis vetustis temporibus negarint.[1]) Loci enim, quibus primum de Hymenaeo deo audimus, eum fuisse deum pervetustum manifeste demonstrant. Occurrit nomen eius in versu intercalari. Ita in duobus Sapphus fragmentis.

Frg. 91 Bergk. *Ἴψοι δὴ τὸ μέλαθρον*
Ὑμήναον.
ἀέῤῥετε τέκτονες ἄνδρες·
Ὑμήναον.
γάμβρος ἔρχεται ἶσος Ἄρευι
Ὑμήναον.
ἀνδρὸς μεγάλου πόλυ μείζων.
Ὑμήναον.

frg. 107. 108. *Ὑμεν' Ὑμήναον·*
Ὦ τὸν Ἀδώνιον.

Apud Euripidem quoque Hymenaei nomen, quasi fixum atque firmum, tantum in invocatione vel in versu intercalari legitur[2]): Troad. v. 310. *Ὑμὴν ὦ Ὑμέναι' ἄναξ*, v. 314; v. 322 *ὦ Ὑμέναιε;* v. 331 *Ὑμὴν ὦ Ὑμέναι' Ὑμήν;* Herc. v. 917 *ὦ Ὑμέναιε;* Phaeth. frg. 781 v. 14 Nauck: *Ὑμὴν Ὑμήν.*

Neque aliter apud Aristophanem[3]) Pac. v. 1332 *Ὑμὴν Ὑμέναι' ὦ*, id. vv. 1334 et 1335; Av. v. 1736 *Ὑμὴν ὦ, Ὑμέναι' ὦ.* id. vv. 1742 et 1754.

Haec autem res talis est, ut facile eos, qui Hymenaeum Sapphus demum aetate deum factum esse existimarint, errasse in-

---

[1]) Longum est singulorum nomina referre, cum omnes, qui de Hymenaeo verba fecerunt, eum recentioris aetatis esse deum existimaverint.

[2]) Eodem modo nomine Hymenaei usos esse poetas illos, quos laudat Tzetzes (schol. ad Lycophr. p. 260 Müller; cf. et. exeg. in Iliad. p. 106.) veterrimos *τῶν ἐπιθαλαμιογράφων*, Agamestorem Pharsalium et Hesiodum verisimile est, si omnino fuerunt et Agamestor Pharsalius et carmen eius in nuptias Pelei et Thetidis. Tzetzes enim poetae illius nomen hausit ex libris Ptolemaei Chenni Hephaestionis filii *περὶ τῆς εἰς πολυμαθίαν καινῆς ἱστορίας*; cf. R. Hercher, über die Glaubwürdigkeit d. neuen Geschichte des Ptolemaeus Chennus (Jahrb. f. class. Philolog. Supplbd. I pp. 272, 273, 280, 292.)

[3]) Epigramma, quod sub Erinnae nomine legitur Anth. Pal. VII, 720 hoc loco non afferimus, quod sine dubio adulterinum est. Cf. Dilthey, Ann. d. Inst. vol. 41, p. 26.

telligatur, qui quidem confudisse videntur Hymenaeum ipsum et fabulas quasdam, quae de ęo ferebantur. Plurimas enim fabulas, quas noverimus, sero admodum ortas esse infra videbimus.

Iam vero aetate Hymenaei dei quoad fieri potuit accurate definita aggrediamur fabulas ipsas

1.

ac primum quidem illas, quae deum nuptialem M u s a g e n i t u m ferebant.

I.

Antiquissima huius genealogiae vestigia reperiuntur in fragmento Pindari, quod est in scholiis Vaticanis ad [Euripidis] Rhesum v. 895.

frg. 139 Bergk: [1]) *ἔντι μὲν χρυσαλακάτου τεκέων Λατοῦς ἀοιδαί*
ὥριαι παιάνιδες· ἔν τι . . . . . ελλοντος ἐκισσ̃ . . . στέφανον
ἐκ διο . . . . . . αιόμεναι· τὸ δὲ κοίμισαν τρ³ . . . .
. . . . . σώματ' ἀποφθιμένων.
ἁ μὲν ἀχέταν Λίνον αἴλινον ὕμνειν.
ἁ δ' Ὑμέναιον, ὃν ἐν γάμοισι χροϊζόμενον . . .
. . . . σὺν πρῶτον λάβεν
ἐσχάτοις ὕμνοισιν· ἁ δ' Ἰάλεμον ὠμοβόλῳ
νούσῳ [ὅτι] πεδαθέντα σθένος.
υἱὸν Οἰάγρου τε χρυσάορ' Ὀρφέα.

Est locus sane corruptissimus, cui ut medelam certam afferrent coniecturis viri doctissimi Schneidewinus, [2]) Welckerus, [3]) Hermannus, [4]) Hartungius, Christius, Bergkius frustra, ut nobis videtur, enisi sunt. Ea autem in re omnes consentiunt, quod Pindarum censent versibus illis (*τὸ δὲ κοίμισαν — σθένος*) verba facere de tribus Musis, quae filios praematura morte abreptos, Linum, Hymenaeum, Ialemum lugeant.

Vocat igitur poeta Hymenaeum Musae filium; quae autem Musa fuerit mater eius hoc loco non comperimus, [5]) etsi iure

---

[1]) Cf. Wilamowitz, Hermes XIV p. 172.

[2]) Rhein. Mus. II, 1833 p. 112.

[3]) Kl. Schr. I p. 50 sq.

[4]) Opusc. V p. 190 sq.

[5]) Idem est apud Claudianum, qui Hymenaeum **M u s a g e n i t u m** appellat C. XXX 31. Apud Hesychium legitur s. v. *ὑμήν· ὑμέναιος ἀπὸ τοῦ + ἠ-*

conici potest Pindari temporibus iam certam Musam a Graecis Hymenaei matrem fuisse nominatam.

Postea quattuor diversae Musae deum nuptialem peperisse dicuntur: apud Asclepiadem Tragilensem[1]) et Suidam[2]) C a l l i o p e,[3])

μήσης παιδός. Recta est Mauritii Schmidtii coniectura *τῆς μούσης* pro *ἡμή-σης*; videtur autem, si similes locos inspicimus, cum Foerstero vox *Ὑμεναίου* esse inserenda inter *ἀπὸ* et *τοῦ*; cf. schol. ad Apollon. Argon. IV 1304: *ἰάλεμον — ἀπὸ Ἰαλέμου τοῦ Μούσης παιδός*; Cramer anecd. gr. Oxon. IV p. 316: *ἐλεγεῖον — ἀπὸ Ἐλέγου τοῦ υἱοῦ Κλειοῦς τῆς Μούσης*; Eustath. ad Il. XVIII 493.

[1]) Schol. ad Pind. P. IV v. 313. *Ἀσκληπιάδης ἐν ἕκτῳ Τραγῳδουμένων ἱστορεῖ Ἀπόλλωνος καὶ Καλλιόπης Ὑμέναιον, Ἰάλεμον, Ὀρφέα.* Schol. ad [Eurip.] Rhes. v. 895. *καὶ Ἀσκληπιάδης ἐν τῷ περὶ δου(λείας θεῶν* sive *θεοῦ* Welcker, cf. Schneidewin. l. l. p. 120. *ἐν τῷ περὶ τραγῳδουμένων* Wilamowitz—Möllendorf, Hermes XIV pg. 172.)... *Καλλιόπῃ γὰρ τὸν Ἀπόλλωνα μιχθέντα γεν(νῆσαι) Λίν(ον) τὸν πρεσβύτατον καὶ τρεῖς μετ' ἐκεῖνον Ὑμέναιον, Ἰάλεμον καὶ Ὀρφέα.*

[2]) S. v. *Θάμυρις... καὶ πρῶτος ἠράσθη παιδὸς Ὑμεναίου τοὔνομα, υἱοῦ Καλλιόπης καὶ Μάγνητος.*

[3]) Casparus Barth in animadversionibus in Claudiani epithalamium Palladii et Celerinae p. 462 (ed. II 1650; in prima editione anno 1612 facta nondum exstat poema) affert fragmentum epithalamii Patriti sive Patricii cuiusdam (vid. Burmann, anth. Lat. VI p. 89. Wernsdorf, poet. Lat. min. IV, 2. p. 475. Meyer, anth. vet. Lat. epigr. et poem. I n. 283; Riese. anth. Lat. II n. 941.), quod se in Mediomatricum metropoli invenisse dicit. Appellatur autem in illo poemate Hymenaeus »p u e r C a l l i o p e i u s«. Referremus sane hunc quoque locum, nisi fragmentum a C a s p a r o B a r t h i o esset allatum. Nam »v i r u m n o n i l i b u s s o l u m f e r r e i s, s e d f e r r e a e t i a m f r o n t e i n s i g n e m« ea quam saepe demonstravit audacia (cf. Bursian. Progr. Turici 1868, Hygin. excerpt. p. VII, Bunte in praefat. ad Hygini ed. p. 23. Riese, anthol. Lat. II praef. p. XXXIV) hoc quoque epithalamium ipsum conscripsisse ceterasque res mentitum esse magna cum veri similitudine ex ipsa hominis natura suspicari licet. Accedunt res quaedam quibus opinionem nostram firmari facile cognosces. Primum enim in fragmento illo multa reperiuntur, quae aliis ex poetis delibata esse iam viri docti monuerunt. Ita initium epithalamii haustum est ex pervigilio Veneris quod dicitur v. 1. v e r e n o v o — Perv. Ven. v. 1. v e r n o v u m; v. 2. i m b r e m a r i t a t u m — P. V. v. 4. d e m a r i t i s i m b r i b u s. Versus 18: p u r p u r e a s c r o c e o s u r a s e v i n c t a c o t h u r n o sumptus ex Vergil. Aen. I 337: p u r p u r e o q u e a l t e s u r a s v i n c i r e c o t h u r n o. Ad v. 41. e c c e p a t e r p a n d o r e c u b a n s S i l e n u s a s e l l o conf. Ovid. A. A. I, 543 e b r i u s e c c e s e n e x p a n d o S i l e n u s a s e l l o, ad v. 79 i m m a n e t r o p a e u m vid. Claudian. epithal. Honor. et Mar. v. 117. i m m a-

apud Apollodorum[1]) Hyginumque[2]) Clio, apud Catullum[3]) Nonnumque[4]) Urania, in chrestomathia Procli laudata a Photio,[5]) unde Tzetzes[6]) hausit et apud Alciphronem[7]) Terpsichore.

Ac patrem Hymenaei his in fabulis iure Apollinem nominatum exspectamus, nam ut Homerus:[8])

---

ne tropaeum. Praeterea Famae descriptio sumpta est ex Vergilio Aen. IV, v. 173 sq., Veneris Hymenaeique colloquium ex Claudiano, epithal. Pallad. et Celer. v. 43 sq. Deinde vero, quae res profecto gravissima, Hymenaeus describitur alatus:

Mane sub Eoo, dum divae castra moventur,
Elapsum pennis et inobservata ferentem
Per liquidas Hymenaeum auras vestigia Romae
Advertisse pedem etc.

Apud veteres enim poetas deus nuptialis alis praeditus nusquam occurrit. Nam etiam loco illo Ovidii metam. X, v. 1 sq., quem laudaverit fortasse quispiam, alarum nulla fit mentio:

Inde per immensum croceo velatus amictu
Aethera digreditur Ciconumque Hymenaeus ad oras
Tendit etc.

At finxit sane Barthius deum nostrum alatum, sive quod Ovidii locum parum accurate tenuit sive quia Hymenaeum Amorum simillimum existimavit.

[1]) Schol. ad [Eurip.] Rhes. v. 342... *οἷς καὶ Ἀπολλόδωρος ἐπηκολούθησε γράφων οὕτως· τὰς Μούσας οἱ μὲν πλεῖστοι παρθένους παραδεδώκασι· γράφεται δὲ εἶναι Οὐρανίας μὲν Λίνον, Καλλιόπης δὲ Θάμυριν, Εὐτέρπης δὲ Ῥῆσον, Τερψιχόρης δὲ Σειρῆνα, Κλειοῦς δὲ Ὑμέναιον.* Quo loco cave ne *γράφεται* verbum neglegas.

[2]) In Dosith. exc. ex Hygin. geneal.: Clio citharam; cum Piero; natus est Hymenaeus. vid. Hygin. fabb. ed. Mauritius Schmidt p. LV.

[3]) C. LXI v. 2. Uraniae genus.

[4]) Dionys. XXIV v. 88; veteres editiones praebebant:

Ῥειτῆς δ' Ὑμέναιον ἀνεζώγρησεν ὀλέθρου,
παιδὸς ἑοῦ γονόεντος ἐπώνυμον.

Recta sine dubio Falkenburgii emendatio a Graefio probata, *Οὐρανίη* pro *Ῥειτῆς*. Nam aliis quoque locis Nonnus de Urania Hymenaei matre loquitur, XXX v. 66.

πὰρ δέ οἱ ἵστατο κοῦρος ὁμέστιος, ἁβρὸς ἀθύρων
εὐχαίτης Ὑμέναιος· ἀερσινόου δὲ τεκούσης
Οὐρανίης σοφὸν ἔργον etc.

Ad Uraniam spectat etiam XXX v. 84.

καὶ οὐ τότε μητέρι Μούσῃ
εὐχωλὴν ἀνέφηνε.

[5]) Phot. Bibl. p. 321 a 17 *Ὑμεναίου τοῦ Τερψιχόρης.*

[6]) Chil. XIII, 596.

[7]) Ep. 1, 13.

[8]) Hymn. XXIV v. 2. Hesiod. Theog. v. 94.

ἐκ γάρ τοι Μουσέων καὶ ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος
ἄνδρες ἀοιδοὶ ἔασιν ἐπὶ χθονὶ καὶ κιθαρισταί.

Spes autem fere nos fallit, cum tantum apud Asclepiadem appelletur Hymenaeus filius Apollinis Calliopesque, a quo vero Urania et Terpsichore conceperint filium omnino non dicatur. Conici tantum potest in iis quoque de Apolline cogitasse veteres.

Apollinem non patrem, sed amatorem Hymenaei affert fabula quaedam ad Magnesiam spectans, de qua uberius infra agemus. Legitur apud Antoninum Liberalem transform. XXIII:[1]) *ἐγένετο δ' αὐτῷ* (sc. *Μάγνητι*) *παῖς περίβλεπτος τὴν ὄψιν Ὑμέναιος· ἐπεὶ δὲ Ἀπόλλωνα ἰδόντα ἔρως ἔλαβε τοῦ παιδὸς καὶ οὐκ ἐξέλιμπανε τὰ οἰκία τοῦ Μάγνητος, Ἑρμῆς ἐπιβουλεύει τῇ ἀγέλῃ τῶν βοῶν τοῦ Ἀπόλλωνος.*

Hac igitur in fabula Hymenaeus filius est Magnetis, quem etiam Suidas l. l. affert patrem. Apud Dositheum[2]) in exc. ex Hygin. geneal. (p. 67 Boecking, p. LV Schmidt) Pierus vocatur pater:

Musarum IX nomina et artes et filii et cum quibus concubuerint: Clio citharam; cum Piero: natus Hymenaeus.

Versio Graeca praebet: *Νῦν ἄρξωμαι ἀπὸ Μουσῶν γράφειν· Κλειὼ κιθάραν μετὰ Πιέρου. ἐγεννήθη Ὑμέναιος.*[3])

Ac Boeckingius quidem pro *Hymenaeus* coniecit *Hyacinthus* laudans Apollodor. bibl. I, 3, 3. *Κλειὼ δὲ Πιέρου τοῦ Μάγνητος ἠράσθη κατὰ μῆνιν Ἀφροδίτης (ὠνείδισε γὰρ αὐτῇ τὸν*

---

[1]) In codice Antonini Palatino n. 398, cuius folia in margine praebent fontes singularum narrationum a grammatico docto et in litteris versato conscriptos, hac de fabula legimus: *ἱστορεῖ Νίκανδρος ἑτεροιουμένων α' καὶ Ἡσίοδος ἐν μεγάλαις Ἠοίαις καὶ Διδύμαρχος μεταμορφώσεων γ' καὶ Ἀντίγονος ἐν ταῖς ἀλλοιώσεσι καὶ Ἀπολλώνιος ὁ Ῥόδιος ἐν ἐπιγράμμασιν, ὥς φησι Πάμφιλος ἐν α'.* Spectant autem scriptores laudati non ad Apollinis Hymenaeique amores, sed ad Mercurium Apollinis gregem rapientem et ad proditorem illum a Mercurio in saxum transformatum. Ovid. met. II v. 683 sq. cf. Hercher. Hermes XII 1877 p. 306 sq. Bergk. gr. Ltrg. 1 p. 233. E. Rohde, d. griech. Roman p. 117 not.

[2]) Cf. Lange, de nexu inter Hygini opera mythologica p. 6 et Bursian. ex Hyg. genealog. excerpta p. 10.

[3]) De versione Graeca vid. Schmidt. ed. Hyg. p. LIII; Lachmann, Vers. ü. Dos.; kl. Schr. II p. 199. not. 4.; Bernhardy, Erathost. p. 130.; Bunte l. l. p. 18.; Lange l. l. p. 6 ss.

τοῦ Ἀδώνιδος ἔρωτα), συνελθοῦσα δ' ἐγγέννησεν ἐξ αὐτοῦ παῖδα Ὑάκινθον.[1])

Primo obtutu nemo dubitabit quin recta sit haec coniectura. Ea enim re quod de hac Hyacinthi genealogia apud unum Apollodorum legimus, cum alii auctores[2]) idemque bibliothecae consarcinator alio loco (III, 10, 3.) Amyclam et Diomedam eius parentes afferant, non ita offendimus, poterant nimirum duae esse fabulae diversae. Ea vero quae sequuntur dilucide ostendunt aut ipsum bibliothecae auctorem aut librarium quendam nomina simillima Hyacinthi et Hymenaei confudisse: *οὗ Θάμυρις ὁ Φιλάμμωνος καὶ Ἀργιόπης νύμφης ἔσχεν ἔρωτα πρῶτος ἀρξάμενος ἐρᾶν ἀῤῥένων.*[3]) Thamyram enim amatorem fuisse Hymenaei testatur Suidas, qui quidem eodem ex fonte quo auctor bibliothecae hausisse videtur (*πρῶτος ἠράσθη παιδός*). Accedit quod pater Pieri vocatur Magnes, quem aliis in fabulis artissime cum Hymenaeo coniunctum esse infra videbimus.[4])

II.

Iam si placet transeamus ad alterum fabularum quasi orbem, quibus H y m e n a e u s a d u l e s c e n s n u p t i a r u m d i e e x s p i r a s s e dicitur. Est autem nobis in his quoque proficiscendum ab eodem quem vidimus Pindari loco. Codex Vaticanus scholiorum Rhesi praebet:

ἁ δὲ ὑμέναιον ἐργάμοισι χροϊζόμενον . . . . σῦμ (vel *σῶμ*) *πρῶτ . . . . λάβεν . . ἐσχάτοις ὕμνοις.* Emendatio non ita difficilis erat Hermanni *ἐν γάμοισι* pro *ἐργάμοισι*. Ut vero lacu-

---

[1]) Falso Hemsterhusius ad Lucian. II, 41 lin. 7 et Meursius de regn. Lacon. cap. II hoc ex loco Apollodorum Hyacinthum filium Veneris et Adonidis finxisse contenderunt.

[2]) Nicand. Ther. v. 902. Pausan. III, 1, 3. Tzetz. exeg. in Hom. Il. XI, 12 et 13; alii Oebali filium fuisse Hyacinthum ferunt. Lucian. deor. dial. XIV; Martial. XIV, 173; Hygin. f. 271.

[3]) Locum descripsit Constantinus Palaeocappa, Eudociae viol. 454 Flach.

[4]) Hunc locum exscripsit scholiasta Venet. A. ad Hom. Il. II v. 595. — Claverius (Apollod. II annot. p. 37, quocum Lennep. ad Colluth. rapt. Hel. animadv. II cap. IX v. 235 facit) apud Apollodorum l. l. *Ὑμέναιον* pro *Ὑάκινθον* legendum esse ratus ea quae sequuntur — *ἀλλ' Ὑάκινθον μὲν ὕστερον Ἀπόλλων ἐρώμενον ὄντα δίσκῳ βαλὼν ἄκων ἀπέκτεινε* — additamentum librarii cuiusdam esse existimavit.

nae explerentur, virorum doctorum alius aliud proposuit. Welckerus[1]) coniecit: *ἁ δ' Ὑμέναιον, ἐν γάμοισι χροϊζόμενον (λέχος ἱμερτὸν) συμπρῶτα λάβ' ἔσχατ' ὑμνοῦντ'.* Hermannus[2]): *ὃν ἐν γάμοισι χρονιζόμενον βρότεος αἰὼν φθέγμα σὺν πρώτοις λάβεν.* Bergkius: *ὃν ἐν γάμοισι κοριζόμενον (νηλὴς μοῖρα) σὺν πρῶτον λάβεν.* Hartungius: *ἐν γάμοισι κοριζόμενον ἅλικων πρώτοις λάχεν τ' ἐσχάτοις ὕμνοισιν.*

Nobis maxime probantur quae Welckerus coniecit, cum quod bonum praebent sensum, tum quia servant illud *χροϊζόμενον*[3]) codicis. Sensus loci, quamquam verba quae perierunt iam non possunt erui, dubius non est. Probabile enim est poetam locutum esse de Hymenaeo nuptiarum die mortuo.[4])

Quo modo exspiraverit deus noster Servius narrat ad Verg. Aen. I v. 651: *Hymenaeus iuvenis fuit, qui die nuptiarum oppressus ruina est; unde expiationis causa nominaretur in nuptiis, sed falsum est. Nam vitari magis debuit nomen extincti.* — Hunc locum descripserunt mythographi Vaticani II, 9 et III, 11, 2—3. — Eustathius[5]) in iis quae affert hac de fabula, non aperte quidem dicit Hymenaeum ipso nuptiarum die mortuum esse: *ἕτεροι δὲ περικαλλῆ τινα νεανίαν ἱστοροῦσι Ὑμέναιον πρὸ ὥρας θανόντα καὶ εἶναί τινα λόγον αὐτοῦ ἐν τοῖς γάμοις ὃν καλεῖσθαι ὑμέναιον.* Ex verbis autem *εἶναί τινα λόγον αὐτοῦ ἐν τοῖς γάμοις* colligendum est eum de Hymenaeo ipso nuptiarum die mortuo cogitasse, cum alioqui minus bene mors illius cum nuptiis coniungatur.

Apud Proclum[6]) deus noster non moritur, sed evanescit:

---

[1]) Rhein. Mus. II p. 114 sq. et kl. Schr. I p. 50 sq.

[2]) Opusc. V p. 190 sq.

[3]) Laudat Welckerus Eurip. Herc. v. 915 *Ἥβας ἐρατὸν χροΐζει λέχος.*

[4]) Eandem fabulam de Elego narratam invenimus in anecd. Gr. Oxon. Cramer. IV, p. 316: *Ἐλεγεῖον δὲ ἐκλήθη ἀπὸ Ἐλέγου τοῦ υἱοῦ Κλειοῦς τῆς Μούσης· οὗτος γὰρ ὡς ἔμελλον οἱ γάμοι γίνεσθαι, ἄφνως ἐξέπνευσεν· καὶ λοιπὸν πᾶσι* (*πᾶσα* coniecit Foerster) *ἡ μουσικὴ ἡ προσελθοῦσα τῷ γάμῳ ἀντὶ τοῦ ᾄδειν καὶ χαίρειν καὶ ὀρχεῖσθαι πάντες ἐθρήνουν μετὰ μέλους καὶ αὐληταὶ καὶ κιθαρισταὶ καὶ τραγῳδοὶ ἐπιλεγέντες ἐπὶ τῷ συμβεβηκότι τῷ Ἐλέγῳ.* Sine dubio haec quidem fabula errori semidocti cuiusdam hominis debetur qui Hymenaeo et Elego confusis laete ariolatus est.

[5]) Eustath. ad Il. XVIII v. 493.

[6]) Phot. bibl. p. 321 a 17.

ὑμέναιον ἐν γάμοις ᾄδεσθαί φασι κατὰ πόθον καὶ ζήτησιν Ὑμεναίου τοῦ Τερψιχόρης, ὅν φασι γήμαντα ἀφανῆ γενέσθαι.

Valet autem idem Hymenaeus evanescens atque moriens, quamquam dubium non est, quin ipse Proclus de Musae filio vere ex hominum conspectu discedente cogitaverit. Cf. Pollucem VI, 114: *περὶ τοῦ γίγνεσθαι καὶ τοῦ φθίνειν ..... τὸ δὲ ἐναντίον φθίνει, τελευτᾷ, ἀπόλλυται, λήγει, φθείρεται, ἀφανίζεται, ἀποθνήσκει.*[1])

Idem verbi *ἀφανίζεσθαι* usus occurrit in fabulis, quae de Baccho ferebantur. Legimus apud Plutarchum de *ει* cap. 9 *καὶ φθοράς τινας ἢ ἀφανισμοὺς καὶ ἀναβιώσεις.* apud Clementem Alexandrinum Strom. VI, 751 *ἀφανισμοὺς Διονύσου.* Idem habemus in Hyla, Anton. Lib. 26. *καὶ ὁ μὲν Ὕλας ἀφανὴς ἐγένετο.*[2])

Tzetzes[3]) in hac fabula Photium habuisse videtur fontem, dicit vero fuisse Argivum Hymenaeum:

οἱ μὲν Ἀργεῖον λέγοντες Ὑμέναιον τυγχάνειν
παῖδα τῆς Τερψιχόρης δὲ ἐκ παστοῦ ἠφανισμένον.

At iure nobis videmur suspicari, etsi Argis Hymenaeum insigni cultum fuisse veneratione constat,[4]) Tzetzam hoc loco, ut saepe errasse. Ac confudit nostra opinione hanc de qua agimus fabulam et illam (vid. p. 12), qua ferebatur Hymenaeus Argivus liberator virginum Atticarum, itaque illo versu de iuvene Argivo nuptiarum die perempto verba fecit.[5])

Aliae fabulae de morte Hymenaei leguntur apud commentatores Vergilii et Floriacensem et Lemovicensem. Affert ille auctorem Cornelium Balbum. Ad Aen. IV v. 127. *Cornelius Balbus Hymenaeum ait Magnetis filium musicae artis*

---

[1]) Cf. et. anecd. gr. Bachm. I p. 169; Parthen. narrat. amat. XV; Dio Chrysost. or. XXIX, 17; or. XXXVII, 46.

[2]) Welcker, kl. Schr. I p. 10. n. 4.

[3]) Chil. XIII, 596.

[4]) Cf. Hygin. fab. 273. Quinto loco Argis (ludi facti sunt), quos fecit Danaus, Beli filius, filiarum nuptiis cantu, unde Hymenaeus dictus (dicitur Maur. Schmidt)

[5]) Schneiderus, Callimachea ad aet. l I., cum Callimachum duodecima aetiorum elegia mortem huius Argivi Hymenaei celebrasse dixit, proposuit quae demonstrari non possint. Cf. Lange, de nexu etc. p. 17; E. Rohde, griech. Rom. p. 85 not. 1.

peritum pulchritudine muliebri, dum nuptias Liberi patris et Althaeae religiosis cantibus celebrat, exspirasse, propter quod et talis honos (nuptiis) attributus est, ut celebratio nominis eius nuptiarum iungendarum perpetuum omen esset. Apud commentatorem Lemovicensem ad eclog. VIII v. 30 legimus: — — *qui Hymenaeus fertur in nuptiis Ariadnes et Liberi patris vocem perdidisse cantando, ex cuius nomine nuptiae sunt dictae.*

At videtur fabulae forma, quae a Cornelio Balbo affertur, primaria esse. Ea autem res, quod apud commentatorem Lemovicensem Hymenaeus non moritur, sed vocem perdit cantando, non magni est momenti. Est profecto idem in fabula, etsi non commentatori, mori, *ἀφανίζεσθαι*, vocem perdere.

Hoc loco optime afferri possunt quae dicebant Orphici de Hymenaeo in vitam ab Aesculapio revocato. Schol. ad Pind. P. III v. 96: **λέγεται δὲ ὁ Ἀσκληπιὸς χρυσῷ δελεασθεὶς ἀναστῆσαι Ἱππόλυτον τεθνηκότα ...... οἱ δὲ Ὀρφικοὶ Ὑμέναιον.** Schol. in Euripidis Alcestidem v. 1. **Ἀπολλόδωρος δέ φησι κεραυνωθῆναι τὸν Ἀσκληπιὸν ἐπὶ τῷ τὸν Ἱππόλυτον ἀναστῆσαι .....οἱ δὲ Ὀρφικοὶ ὅτι Ὑμέναιον.** Ex hoc vel illo loco sumpta sunt quae leguntur in bibliotheca Apollodori III, 10, 3.

Ac facile quidem adducimur, ut huius fabulae originem ea in re quaeramus, quod veteres explicare studuerint, Hymenaeus mortuus quo modo rursus ad nuptias venire possit.[1]) Cum vero habeamus Orphicos, cum probabilitate quadam conicere nobis videmur Hymenaeum in vitam revocatum ortum esse ex Phanete illo redivivo Orphica religione maxime culto.[2]) Aesculapium autem Hymenaeum in vitam arte sua reduxisse minime mirum, cum is communis mortuorum excitator celebraretur.[3])

---

[1]) Hanc fabulae explicationem proposuit Heynius observatt. ad Apollod. III 10, 3.

[2]) De hoc Orphicorum Hymenaeo nobis sine dubio cogitandum est, si Linum Hymenaeo librum dedicasse legimus apud Nicomach. Theolog. arithmet. p. 51, Ast: *διὸ καὶ Λῖνος ὁ θεολόγος ἐν τῷ πρὸς Ὑμέναιον δευτέρῳ θεολογικῷ φαίνεται λέγων· τέσσαρες ἀρχαὶ ἅπασιν τριασσοῖς δισμοῖς κρατοῦνται.* Ferebantur scilicet sub Lini nomine nonnulla opera de mundo et dis, quae Orphicorum vel Pythagoreorum resipiebant disciplinam, cf. Diod. Sic. III, 66. Diog. Laert. Prooem. § 3. Augustin. d. c. d. XVIII, 14.

[3]) Cf. S. Empiric. adv. math. I 260 ss.; Diod. Sic. IV, 71; Philodem. *περὶ εὐσεβ.* 131 p. 52 Gomperz; Vergil. Aen. VII v. 770; vid. Müller., Dor.

III.

Iam sequuntur fabulae, quibus Hymenaeus fingebatur iuvenis sive Argivus sive Atheniensis virginum liberator. Invenimus in scholiis Cod. Ven. A. ad Il. XVIII 493 *Ὑμέναιός τις Ἀργεῖος παραπλέων τὰς Ἀθήνας κατέλαβεν παρθένους ἁρπαζομένας ὑπὸ Πελασγῶν τινων. αἷς ἐπιφανεὶς αἴτιος γέγονε τοῦ μὴ βιασθῆναι ἀποδιώξας τοὺς Πελασγούς· διὰ τοῦτο οὖν αἱ νομίμως γαμούμεναι ὥσπερ ἐπικαλούμεναι αὐτόν. ὕμνον τινὰ ἔλεγον εἰς αὐτόν. ὃν ἐκάλουν ὑμέναιον.* Eustathius[1]) quae affert de Hymenaeo Argivo ex illis scholiis sumpsit. Illum ut semper fere ad verbum transscripsit Philemo (p. 173 ed. Osann.) Apud Proclum Hymenaeus virginum liberator Atticus est iuvenis: *οἱ δὲ κατὰ τιμὴν τοῦ Ἀττικοῦ Ὑμεναίου· τοῦτον γάρ φησί ποτε διώξαντα ἀφελέσθαι κούρας Ἀττικὰς λῃστῶν.* Simili fonte quo Proclus usi sunt Donatus[2]) et Servius.[3]) Tzetzes ex Photio hausit, deformavit autem fabulam per inscientiam:

οἱ δ' Ἀττικὸν Ὑμέναιόν φασιν οὐχὶ Ἀργεῖον
εὑρεῖν παρθένους δέ τινας λῃσταῖς ἀφηρπαγμένας.
οὕσπερ ἐν γάμοις ἔπεισε νομίμοις ἁρμοσθῆναι.

Apertum quidem talem fabulam nunquam fuisse. Nam quid sibi volunt legitimae cum praedonibus nuptiae? Fabula ita tantum bonum praebet sensum, ut virgines ab Hymenaeo ex piratarum potestate liberatae postea legitimas atque iustas nuptias celebrare possint.

Nominatur igitur apud veteres Hymenaeus modo Argivus modo Atticus, quae res nos de fabulae patria dubios facit. At si paullo diligentiorem instituimus quaestionem, eam Athenis

---

I p. 325 n. 1; Robert. de Apoll. bibl. p. 57 sq.; Heynium et Clavier. ad Apollod. l. l.

[1]) Ad Il. XVIII v. 493. *ὑμέναιος ἀπὸ Ὑμεναίου νεανίου τινὸς Ἀργείου, ὃς παραπλέων Ἀθήνας ἔπαυσε βίαν, ἣν λῃσταὶ Πελασγοὶ ἐπῆγον παρθένοις Ἀττικαῖς, αἳ γάμῳ νομίμῳ ὕστερον ἐκδοθεῖσαι ᾠδὴν ᾖσαν ἐπ' αὐτῷ, ἣν ἀμοιβαίως(?) ἐκάλουν ὑμέναιον.*

[2]) Ad Terent. Ad. V, 7, 6. virum fortem Atticum dicunt fuisse, qui raptas (a) praedonibus virgines oppressis latronibus intactas patriae restituit.

[3]) Ad Verg. Aen. I v. 651. Hymenaeus apud Athenas inter bella saevissima virgines liberavit.

ortam esse cognoscemus. Athenas enim demonstrant Atticae virgines, quoniam, si Argiva esset fabula, causa inveniri non potest, cur non de Argivis virginibus audiamus. Athenas praeterea demonstrat locus fabulae: *παραπλέων τὰς Ἀθήνας*. Ad Athenas denique spectant Pelasgi illi praedones. De iis enim virginum Atticarum raptoribus ac stupratoribus apud Herodotum legimus lib. VI, 137: *ὡς δὲ αὐτοὶ Ἀθηναῖοι λέγουσι, δικαίως ἐξελάσαι* (sc. *τοὺς Πελασγούς*)· *κατοικημένους γὰρ τοὺς Πελασγοὺς ὑπὸ τῷ Ὑμησσῷ ἐνθεῦτεν ὁρμεομένους ἀδικέειν τάδε· φοιτᾶν γὰρ αἰεὶ τὰς σφετέρας θυγατέρας ἐπ' ὕδωρ ἐπὶ τὴν Ἐννεάκρουνον. οὐ γὰρ εἶναι τοῦτον τὸν χρόνον σφίσι κω οὐδὲ τοῖσι ἄλλοισι Ἕλλησι οἰκέτας. ὅκως δὲ ἔλθοιεν αὗται, τοὺς Πελασγοὺς ὑπὸ ὕβριός τε καὶ ὀλιγωρίης βιᾶσθαι σφέας.*

Est igitur verisimillimum fabulam de Hymenaeo virginum liberatore ortam esse Athenis, quam postea Argivi, cum apud eos quoque Hymenaeus maiore uti veneratione coepisset, sibi vindicabant ita, ut illum fuisse Argivum dicerent, qui Atticam tantum praetervectus esset.

Videntur autem hac in fabula matrimonia raptu orta opposita esse iis, quae certis conditionibus contrahuntur. Pelasgi enim Atticas rapientes virgines iuxta Callirrhoen fontem illum artissime cum nuptiis legitimis coniunctum [1]) significant tempora illa, quibus mos erat virgines ad matrimonia rapiendi. Hunc rudem morem reppulit humanitas in dies aucta: iam legitima fiebant coniugia certis conditionibus, quam rerum mutationem fabula ita expressit, ut Hymenaeum, legitimarum sponsorem nuptiarum, liberasse virgines e Pelasgorum potestate diceret. Magnum autem illud meritum coniugiorum inventorum Athenienses prae se ferebant. Schol. Ven. A ad Iliad. XVIII 491. *ἐπιφέρει δὲ γάμους καὶ ὑμεναίους· ἐν Ἀθήναις γὰρ ταῦτα πρῶτον ἤχθη.* Eustath. ad eundem locum: *γάμους καὶ ὑμεναίους ἐν Ἀθήναις πρῶτον ἀχθῆναι ὑπὸ*

---

[1]) Thucyd. II, 15 *καὶ τῇ κρήνῃ τῇ νῦν μὲν τῶν τυράννων οὕτω σκευασάντων Ἐννεακρούνῳ καλουμένῃ, τὸ δὲ πάλαι φανερῶν τῶν πηγῶν οὐσῶν Καλλιρρόῃ ὠνομασμένῃ ἐκεῖνοί τε ἐγγὺς οὔσῃ τὰ πλείστου ἄξια ἐχρῶντο καὶ νῦν ἔτι ἀπὸ τοῦ ἀρχαίου πρό τε γαμικῶν καὶ ἐς ἄλλα τῶν ἱερῶν νομίζεται τῷ ὕδατι χρῆσθαι.* Cf. Demosth. in Leochar. p. 1086; Poll. III 43; Harpocrat. s. v. *λουτροφόρος*; Suid. s. v.; Phot. s. v.; E. M. s. v. *Ἐννεάκρουνος*.

Κέκροπος. ὅθεν καὶ διφυῆ τὸν Κέκροπα λέγεσθαι ὁ Χάραξ φησίν. Neque mirum est, quod Argivi quoque, quorum in urbe *Ἥρα τελεία* summa veneratione colebatur, hanc laudem sibi vindicare conabantur, ita quidem, ut Hymenaeum Argivum fingerent.

Amplificata et ornata[1]) occurrit fabula, quam modo vidimus, apud grammaticos et mythographos Latinos; fons Graecus, ex quo hauserunt, aetatem non tulit. Ac coniuncta sunt cum Hymenaeo Cereris mysteria.

Apud commentatorem Vergilii Floriacensem [2]) ita se habet fabula: *Hymenaeus Atheniensis adeo pulcher fuit, ut adolescens puella putaretur. Is cum unam virginem nobilem ipse mediocriter ortus adamasset eiusque nuptias desperneret, quod unum poterat, sequendo puellam amori satisfaciebat. Sed cum Atheniensium nobilissimae virgines Eleusinae Cereris sacra facerent, subito adventu piratarum raptae sunt, inter quas etiam Hymenaeus, qui illo amatam fuerat secutus, tamquam puella raptus est. Sed cum piratae praedam per maria longinqua portassent, in desertam regionem delati ac fatigati somno se dederunt; quos cum universos occidisset Hymenaeus relictis ibi virginibus Athenas reversus est petiitque a civibus, ut si virgines, quae raptae fuerant, reduxisset, dilectae nuptias impetraret; quas cum reduxisset, optatam in matrimonium virginem meruit. Quod coniugium quia felix fuerat, placuit Atheniensibus omnibus nuptiis Hymenaei nomen interesse.*

Hunc commentatoris locum Lactantius Placidus [3]) descripsit

---

[1]) De fabulae mutatione cf. Rohdium, gr. Rom. p. 44.

[2]) Ad Aen. IV v. 99 cf. Thilo p. XXXVII sq.

[3]) Ad Stat. Theb. III v. 283. De Lactantio Servii Hyginique expilatore cf. Scaligerum ad Euseb. p. 16. — Etiam magis quam Lactantius fabulam mutavit Ioannes de Ianua, Catholicon s. v. himen. — Hymenaeus Atheniensis iuvenis amore cuiusdam forma paris, sed nobilitate superioris inarserat. Sed generis imparitate repulsam passus inter virgines virginali habitu conversatus et a piratis inter virgines captivatus et tandem vir esse deprehensus ad suos remissus est, ut parentibus virginum earum facilem nuntiet vel dicat reditum, ea tamen lege, ut eius, quam peteret, uti coniugio concederetur. Conceditur. Redduntur virgines, fit ille voti sui compos salva lege suae conditionis.

ita, ut verba mutaret et quae paucis ille dixerat verbis magna adhibita verborum copia exprimeret. Una tantum res est, qua differunt inter se. Lactantius enim praedones ab insequentibus Atheniensibus oppressos esse perhibet. Hanc autem fabulae partem ab eo ipso mutatam esse elucet, quippe cui a solo Hymenaeo tantam praedonum multitudinem interfici potuisse credibile non videretur. [1]) Hac de causa finxit piratas ab Atheniensibus, qui insecuti essent, interfectos esse, non videns, ea si esset fabula, Hymenaei postulationem esse ridendam, cum ii, qui insecuti erant, patribus filias referre potuissent.

Ex Lactantio sumpta sunt quae leguntur apud mythographos Vaticanos I 75, II 219, III 11, 3. Ac primus Lactantii verba affert haud mutata, alter vero et tertius quae apud Vergilii commentatorem et Lactantium invenerant, contaminaverunt.

Videtur autem haec fabulae narratio repetita esse ex elegia Alexandrini cuiusdam poetae, et cum in fine narratiunculae apposita sit moris nuptiarum *αἴτια: quod coniugium quia* etc., licet sane suspicari fabulam fuisse expositam in elegia quadam simillima *αἰτίων* Callimachi sive a Callimacho ipso sive ab alio poeta. Orta est fabula sine dubio Athenis — est enim Hymenaeus ille Atheniensis Atticasque liberat virgines [2]) — postquam mysteria Eleusinia magnam nacta sunt auctoritatem in coniugiis similibusque institutis.

IV.

Restat ut de iis fabulis verba faciamus, quae Hymenaeum Bacchi Venerisque filium tradant.

Primum apud Senecam [3]) de Baccho patre audimus:

---

[1]) Eadem de causa Koehlerus quoque l. l. § 9. hanc mutatam fabulam praefert: attamen mihi quidem illa Lactantii fabula verosimillima videtur; incredibile enim prope est, Hymenaeum solum interfecisse omnes piratas.

[2]) Prellerus, gr. M. II p. 490 hanc et quam ante vidimus fabulam confundit. Dicit enim: »in attischen Sagen gilt H. für einen argivischen Jüngling, der sich den attischen Frauen, als sie die Demeter feiernd von Seeräubern überfallen wurden, hülfreich erwiesen habe.«

[3]) Med. v. 110. cf. Mart. Capell. de nupt. init. sive quod Bacchus pater.

Candida thyrsigeri proles generosa Lyaei,
Multifidam iam tempus erat succendere pinum!

Apud Donatum[1]) Hymenaeus *Liberi et Veneris filius est, qui primus certas nuptias instituit: ideo per laudem cantatur virginalibus nuptiis ob huiusmodi meritum.*

Eodem fortasse fonte usus est commentator Floriacensis[2]) Vergilii. Apud mythographum Vatic. III 11, 2. Remigii legitur explicatio: *Veneri et Baccho natus fingitur Hymenaeus, quia ob vini petulantiam libido excitari solet.* Aliae fabulae etsi Hymenaeum non filium Bacchi afferunt, tamen artissime cum eo coniungunt; ita fabulae supra allatae, quae Hymenaeum nuptias Bacchi et Althaeae sive Ariadnes cantibus celebrantem exspirasse vel vocem perdidisse dixerunt. Inter Bacchi amasios reperimus deum nostrum apud Clementem Romanum homil. V 15 *Διόνυσος δὲ (ἠράσθη) Ἀδώνιδος, Ἀμπέλου, Ὑμεναίου, Ἑρμαφροδίτου, Ἀχιλλέως.*[3])

Quo tempore huius quidem orbis fabulae ortae sint ex iis ipsis assequi non possumus. Ea autem res quod sero admodum

---

[1]) Ad Terent. Ad. V, 7, 6.

[2]) Ad Aen. IV, 127. Veneris et Bacchi filium dicunt primum nuptiis prospere usum.

[3]) Passerius pict. Etr. in vasc. II ad tab. 157) valde erravit dicens: Hymenaeus, quem prae omnibus diis Bacchus diligebat, ut saepe notavit Nonnus. (De Nonno, commentatore Gregorii Nazianzeni cogitare non potuit Passerius, cum hic Hymenaei omnino non fecerit mentionem.) — Eundem in errorem inciderunt Diltheius (l. l.) et Schneiderus (Call. epigr. inc. 9.) referentes ad nostrum Hymenaeum locos ex Nonni Dionysiacis sumptos, quibus non de Hymenaeo deo, sed de Boeotorum duce cognomini agitur. Quid quod Baumstarkius (Paulyi R. E. s. v.), quem Papius in WB. gr. E. s. v. secutus est, deum nostrum filium Bacchi et Phlegyae fuisse contendit teste Dion. XXIX, v. 33.

υἱὸς ἔην Φλεγύαο καὶ οὐ Κορωνίδαο τοκῆος?

Versus spectat ad Boeotorum ducem *Βάκχῳ πεφιλημένον*, Phlegyas autem non matris, sed patris est nomen. Ac censet Koehlerus, üb. d. Dionys. d. Nonnus p. 34. hunc Hymenaeum, ducem Boeotorum alae, inter quos Orchomenii praeter alios nominantur, esse personam a Nonno fictam. Nomen vero dei nuptialis ei e Koehleri opinione attributum est ob artissimam Gratiarum Orchomeniarum et Hymenaei coniunctionem. Nobis haec non probantur. Immo vero non dubitamus, quin dux ille Boeotorum, amicissimus Bacchi, nominatus sit a Nonno Hymenaeus, propterea quod ipse deus nuptialis saepissime cum Baccho erat coniunctus.

de iis audimus, profecto nondum valet ad originem earum recentiorem demonstrandam.

V.

Quattuor igitur nostris fabularum de Hymenaeo circulis perlustratis inquiramus fabulas, quae non per totam Graeciam erant pervulgatae, sed certum ad locum spectabant. Iis enim in regionibus, in quibus Hymenaeus praeter ceteros colebatur deos, facile fingebantur fabulae, quae quam arte deus nuptialis cum loco ipso cohaereret, ostenderent.

Ac mirum quidem, quod omnes huius generis fabulae praeter unam agunt de amore puerorum, quem veteres in Thracia ab Orpheo vel Thamyra inventum demigrasse meridiem versus in Graeciam ipsam existimabant. Coniunctus autem est a Graecis cum hac turpissima consuetudine deus nuptialis.

Antiquissima harum fabularum sine dubio illa est, quae Hymenaeum a Thamyra ipso vitii inventore amatum esse fingebat. Suid s. v. *Θάμυρις..... πρῶτος ἠράσθη παιδὸς Ὑμεναίου*[1]) *τοὔνομα. υἱοῦ Καλλιόπης καὶ Μάγνητος.* Ad eandem rem spectat etiam locus Apollodori I 3, 3, de quo supra diximus: *Κλειὼ δὲ Πιέρου τοῦ Μάγνητος ἠράσθη.... συνελθοῦσα δὲ ἐγέννησεν ἐξ αὐτοῦ παῖδα Ὑμέναιον. οἷ Θάμυρις .... ἔσχεν ἔρωτα πρῶτος ἀρξάμενος ἐρᾶν ἀῤῥένων.*

Hanc autem fabulam Magnesiae ortam esse facile cognoscimus ex nomine Magnetis. Ad eandem Magnesiam referenda est etiam fabula ab Antonino Liberali allata, in qua Hymenaeus Magnetis filius ab Apolline amatus dicitur. Cornelius Balbus quoque deum nostrum Magnetis filium fuisse affirmat.

Habemus igitur quattuor fabulas, quibus Hymenaeus cum Magnete coniungitur, quae res sane Magnesiae eum insigni cultum fuisse veneratione demonstrat.

Alia fabula si minus Magnesiam ipsam tamen Thessaliam spectans item de amore pueri agit. Legitur apud commentatorem Lemovicensem Vergilii ad ecl. VIII v. 30 *In eodem monte* (Oeta) *Hesperus coli dicitur, qui Hymenaeum speciosum puerum amasse dicitur.*

[1]) Lennep ad Colluth. rapt. Hel. animadv. II cap. IX v. 235 pro *Ὑμεναίου* proposuit nisus Apollodori loco I 3, 3 *Ὑακίνθου*, quod nullo modo probari potest cf. pg. 7.

Eiusdem fabulae mentionem facit Nonnus Dion. XXXVIII v. 137

καὶ μέλος εἰς Ὑμέναιον ἀνέπλεκε Κύπριδος ἀστήρ.

Haec fabula sane orta est ex Graecorum more nuptiarum vespere celebrandarum; quare dubitari potest, utrum fabula in ipsa Thessalia, quo ducit Oeta, inventa sit, an in Thessaliam delata sit a Graecis, qui Hesperi sedem Oetam existimabant.[1])

Ex Thessalia sive potius Magnesia fabula de Hymenaeo cinaedo profecta est in Boeotiam, ubi ita mutata est, ut Argynnus, qui ab aliis Agamemnonis[2]) amasius credebatur, amator illius fingeretur. Athen. XIII 603 d *Λικύμνιος δὲ ὁ Χῖος ἐν διθυράμβοις Ἀργύννου φησὶν ἐρώμενον Ὑμέναιον γενέσθαι.*

Iam quaeramus quid sibi velit Argynnus! Id quidem dubitari non potest, quin Argynnus quam artissime cohaereat cum Venere Boeotorum Argynnide.[3]) Haec Venus Argynnis quae dicebatur erat dea amoris puerorum, quo spectat ipsum cognomen *Ἀργυννίς. Ἀργεννὸς* enim (Hom. Il. III v. 14) idem valet atque *ἀργός, λευκός, albus. Λευκοὶ* autem nominabantur homines pathici et cinaedi, genus omnium spurcissimum, qui foedis aliorum libidinibus dediti

---

[1]) Cf. Catull. LXII 7:

Nimirum Oetaeos ostendis noctifer ignes.

LXII 26:

Hespere, qui caelo lucet iocundior ignis?
Qui desponsa tua firmes conubia flamma etc.

Baumstarkius l. l. Burmannum ad Ovid. Met. II. v. 683 secutus dicit Hymenaeum fuisse etiam Argi et Perimelae filium teste Ovidio met. II v. 683. Hoc vero falsum est. Antonino enim teste (l. l.) Argus et Perimele parentes erant Magnetis. Error autem Burmanni et Baumstarkii ea ex re ortus est, quod Antoninus l. l. Mercurium Apollini amore Hymenaei incenso gregem rapuisse narrat, Ovidius l. l. de eodem agit raptu. Pape hunc quoque errorem suum fecit in Wb. gr. Eign. s v.

[2]) Athen. XIII p. 603 d. *Ἀγαμέμνονα Ἀργύννου ἐρασθῆναι λόγος.* Clem. Alex. Protrept. 38. Steph. Byzant. s. v. Cf. Preller, Rhen. Mus. N. S. IV. 1846 p. 403 sq.

[3]) Steph. Byzant. s. v. *Ἄργυννος, υἱὸς Πεισιδίκης τῆς Λεύκωνος..... ἐρώμενος Ἀγαμέμνονος Βοιωτός, ὃς ἐνιών εἰς τὸν Κηφισὸν τελευτᾷ, ἀφ' οὗ Ἀργυννίδα τὴν Ἀφροδίτην ἐτίμησε*; vid. etiam Plut. Gryll. c. 7. Cf. Flach, griech. Lyrik p. 17.

capillos toto corpore anxie radebant,[1]) ut laevorem nanciscerentur muliebrem. Ad hanc vocis significationem spectare videntur et proverbium, quod affert Eustathius ad Il. IV v. 141: *οὐδὲν λευκῶν ἀνδρῶν ὄφελος.* et quae leguntur apud Hesychium: *Λευκοί· οἱ δειλοί.* Idem sane vult vox Latina *albus* in locutione: *albus an ater sis nescio.*[2])

Factum igitur ex rei natura est, ut in Boeotia Argynnus ille ipso nomine[3]) amorem puerilem significans cum Hymenaeo[4]) coniungeretur.

Restat, ut de fabula quadam orta in Phrygia vel Syria verba faciamus, quae quidem vitii illius vestigiis vacat. Affert eam Stephanus Byzantius s. v. *Ἀσκάλων* sumptam ex Nicolao Damasceno: *Ἀσκάλων — πόλις Συρίας πρὸς τῇ Ἰουδαίᾳ· Ξάνθος ἐν τετάρτῃ Λυδιακῶν φησιν, ὅτι Τάνταλος καὶ Ἄσκαλος παῖδες Ὑμεναίου. τὸν δὲ Ἄσκαλον ὑπὸ Ἀλκιαμοῦ* (*Ἀλυάττου* Gronov.) *τοῦ Λυδῶν βασιλέως αἱρεθέντα στρατηγὸν εἰς Συρίαν στρατεῦσαι κἀκεῖ παρθένον ἐρασθέντα πόλιν κτίσαι, ἣν ἀφ' ἑαυτοῦ οὕτως ὠνόμασε.*

De aetate huius fabulae e Xanthi Lydiacis certi aliquid sumi non potest, cum inter viros doctos non satis constet, utrum Xanthus ipse libros, qui sub eius nomine ferebantur, composuerit an Dionysius Scytobrachio sive Mytilenaeus.[1]) Ac Welckeri[2]) quidem opinione inest fabulae illi doctrina cuiusdam Alexandrini

---

[1]) Clem. Alex. Paedag. III, 17—20 tria genera illorum hominum affert: *οἱ πιττοῦντες, ξυροῦντες, παρατίλλοντες.*

[2]) Catull. c. 91:

N i l n i m i u m s t u d e o , C a e s a r , t i b i v e l l e p l a c e r e
N e c s c i r e u t r u m s i s a l b u s a n a t e r h o m o.

Cf. etiam Horat. ep. II, 2, 189.

[3]) Ad eandem rem spectat etiam nomen avi *Λεύκωνος* (non p a t r i s, ut voluit Hertzberg ad Propert. III 7, 22.)

[4]) Hymenaeum etiam a Lino et Orpheo amatum esse falso scripsit Welcker, kl. Schr. I p 6.

[5]) Athen. XII p. 515 d. *ὡς ἱστορεῖ Ξάνθος ὁ Λυδὸς ἢ ὁ τὰς εἰς αὐτὸν ἀναφερομένας ἱστορίας σ υ γ γ ε γ ρ α φ ὼ ς Διονύσιος ὁ Σκυτοβραχίων* etc. Schol. ad Il. II v. 1702: *ἱστορεῖ δὲ ὁ ἕτερος Ξάνθος*; cf. de ea re Hachtmann de Dionys. Mytilen. p 7; Schwartz de Dion. Scytobr. p. 5; R. Schubert, die Könige von Lydien p. 3.

[6]) Kl. Schr. I p. 440.

hominis docti, quod unde sumpserit nescimus. Sed utut res se habet, sive Xanthus fabulam narravit sive Dionysius, id sane ex ea cognoscimus in Phrygia Syriaque Hymenaeum singulari usum esse veneratione.

2.

Hae omnes sunt, quas nos quidem cognoverimus, fabulae de Hymenaeo a veteribus traditae, quibus enarratis nacti sumus fundamentum idoneum, quo quaestionem de origine et natura dei nuptialis exstruamus. Tali autem in quaestione praeter fabulas ipsas maxime respiciendae sunt nuptiae veterum. Examinare oportet, unde sumpti sint ritus nuptiales.

At de ritus nuptiarum origine iam non dubitari potest, postquam Rossbachius, vir doctissimus, quae investigatione accuratissime felicissimeque facta invenerat, in lucem edidit. Sufficiet sane quaestionis a Rossbachio institutae summam hoc loco protulisse. Unters. üb. röm. Ehe p. 257: *Das einheitliche Princip, welches sich unserer Untersuchung ergeben hat, ist folgendes: die Hochzeitsfeier ist ein Teil des Cultus der agrarischen Götter, alle ihre Formen sind aus diesem Cultuskreise geschöpft, finden darin ihre Erklärung und ihren Zusammenhang.* — p. 258: *dieselben Gottheiten, welche der Zeugung und Fruchtbarkeit im natürlichen Leben, dem Gedeihen der Feldfrüchte und der Heerden vorstehen, ebendieselben Gottheiten stehen auch der Ehe und der Erzeugung der Kinder vor.* [1])

Haec autem si vere disputata sunt, id quod nemo potest negare, summo iure conicere licet etiam deum illum, quem veteres auctorem et praesidem nuptiarum legitimarum habebant, fuisse principio deum agrorum. Quaerendum igitur est, e quonam deo agresti ortus sit Hymenaeus. Haec vero quaestio non ita diffici-

[1]) Cf. etiam pp. 224, 330, 345. Röm. Ehedkm. p. 62. Lasaulx, z. Gesch. u. Philos. d. Ehe b. d. Gr. p. 30 ss. Creuzer, Symb. u. Myth. IV p. 450. Stark, arch. Ztg. IX. 1851 p. 293. Preller, gr. M. I p. 641. Mannhardt, Waldkult. I pp. 444, 469, 480. De Germanorum veterum dis coniugalibus iisdem agrestibus vid. Weinhold, deutsch. Frau. I p. 376.

lis est. Cum enim sciamus veteres et Indos [1]) et Graecos [2]) Ro-

---

[1]) Cf. Manu 9, 96. et 106; Rigveda (H. Grassmann, Lpzg. 1876) II, 2, 12; III, 1, 16; 12, 7; V, 6, 10; VII. 1, 11. Pantschatantra (Theod. Benfey, Lpzg. 1859) II, 2, 101. H. Zimmer, altind. Leben, Berlin 1879, pp. 314 et 318. Weber, Vedisch. Hochztspr. pp. 209 et 216. (Ind. Stud. V.) Rossb. l. l. p. 199; (de aliis populis vid. Gubernatis, storia comparata degli usi nuziali in Italia, pp. 13, 111, 123.)

[2]) Cf. verba sollemnia: *ἔχειν γαμετὴν παίδων ἐπ' ἀρότῳ, ἐπὶ σπορᾷ γνησίων τέκνων.* Clem. Alex. Paedag. II, 83: *τοῖς δὲ γεγαμηκόσι σκόπος ἡ παιδοποιία, τέλος δὲ ἡ εὐτεκνία, καθάπερ καὶ τῷ γεωργῷ τῆς τῶν σπερμάτων καταβολῆς αἰτία μὲν ἡ τῆς τροφῆς προμήθεια, τέλος δὲ αὐτῷ τῆς γεωργίας ἡ τῶν καρπῶν συγκομιδή.* Id. Strom. II, 137: *γάμος μὲν οὖν ἐστι σύνοδος ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς — — ἐπὶ γνησίων τέκνων σπορᾷ.* Cf. Boettiger, Aldobr. Hochz. p. 134, Wachsmuth. Hell. Alt. II pp. 127, 149, 386. Hic nuptiarum coniugiorumquae finis nostra opinione etiam in stirpe vocis Hymenaei expressus est, quae nobis cum Schneidero (Hdwb. d. gr. Spr. s. v.; cf. quoque ea quae affert s. v. *ὕω*) trahenda esse videtur a stirpe *ὑ* (*ὕω = φύω*) — *υἱός* scr. su, sû, savâmi gigno, pario; zd. hunu filius; goth. su-nu-s, germ Sohn. (Cf. Curt. Grdz. d. gr. Etym. p. 353 nn. 604 et. 605). Significat igitur, si *ὑ* vera est vocis stirps, *Ὑμὴν* genitorem, procreatorem, qua nullam scimus notionem deo nuptiali aptiorem. A veteribus tres diversae etymologiae Hymenaei vocis sunt prolatae. 1) Trahebatur ab *ὑμήν*, membrana virginali. Schol. Cod. Ven. A. Il. XVIII v. 493. Schol. Soph. Electr. v. 962. Eustath. Il. XVIII v. 493. Tzetz. Chil. XIII, 596; Donat. ad Terent. Ad. V, 7, 6. Serv. ad Aen. IV v. 99. Isid. etym. IX, 22. Apud mythographum Vaticanum III, 11, 2 *ὑμὴν* explicatur membrana, quae est proprie muliebris sexus, in qua puerperia fieri dicuntur: cf. Hermippum ap. Schneid. praef. ad Theophrast. I p. XXVII *ὑμένες ἐοικότες πομφόλυξιν, αἵ . . . χρόνῳ διαρραγεῖσαι τὰ ζῷα ἀπέτεκον.* — Hanc etymologiam acceperunt Jul. Caes. Scaliger (poet. lib. I. 1.), Becmannus (de origg. l. l. s. v.), nostra aetate Schinkius (Ersch—Gruber, Enc. s. v.), qui mira admodum commentus est de Graecorum ritu nuptiali. Scripsit enim: das Schauen des Hymen war wichtig: darum führten die nächsten unverheiratheten Mädchen die Braut ins stille Gemach, sangen dem Hymen ein Lied unter musicalischer Begleitung und tanzten vor der Thür, bis die Keuschheit der Braut durch unverdächtige Beweise (die Physiologie des Altertums baute auf sie) allen entschieden war. In der Folge personificierte man den Hymen, er ward Genius der Ehe. Iudaeorum narrat morem, non Graecorum; (cf. Weber, l. l. p. 187. Similem morem invenimus apud recentiores Italos (cammisa de l'amore cf. G. Basile, Pentamerone I, 18 not.) et Hispanos (la virginita de

manosque [1]) uxores duxisse liberorum procreandorum causa, magna cum probabilitate suspicari licet deum nuptialem fuisse principio deum cuiusvis fertilitatis. A Graecis autem progeneratorem omnis incrementi Bacchum existimatum esse iam neminem fugit. [2]) Deus habebatur veris, [3]) cum hoc tempore anni maxime spectetur natura somno quasi excitata, procreatio innumerabilium novarum rerum, quae quidem omnes a Baccho ipso veterum opinione erant productae. Eleganter hanc dei vim Avienus versibus adumbravit descr. orb. v. 1123 sq.: Cum Iupiter filium e femore solveret,

tellus effudit dives odores,
Villorum subitis tumuit pecus incrementis.
Ver habuere suum nova gramina, flore frequenti
Pinxit terra sinus, ac nymphis unda cucurrit
Largior; internis etiam procul undique ab oris
Ales amica deo largum congessit amomum.

Procreandi autem vis illa verna [4]) Bacchi non solum pertinebat ad plantas, segetes, pecudes, sed transferebatur ex rei na-

---

la moucher cf. de Gaya, cérémonies nuptiales p. 33.) Ceterum apud Schinkium quoque errores Baumstarkii supra notati (Hym. filius Bacchi et Phlegyae, Argi et Perimelae) leguntur. 2) Alii repetebant vocem ab *ὕμνος* (Eustath. et Tzetz. l. l. E. M. s. v.) vel ab *ὕμνος νέος* (Tzetz.) 3) Tertia etymologia erat ab *ὁμονοεῖν* vel *ὁμοῦ ναίειν* (*ὁμοῦ εὐνάζειν, ἅμα ναίειν*). Aeolica dialecto — *ὑμεναίειν*. Schol. cod. Ven. B. Il. XXIII v. 493. Hesych. s. v. Phot. bibl. p. 321 a 17. Eustath. l. l. Philem. p. 173. Theognost. in Crameri anecd. Gr. Oxon. II p. 52. E. M. s. v. Tzetz. Anecd. Gr. Par. Cram. IV p. 160.

[1]) Cf. Fest. s. v. quaeso p. 258: (Ennius) in Cresphonte: ducit me uxorem liberorum sibi quaesendum gratia et in Andromeda: liberum quaesendum causa familiae matrem tuae. Gell. N. A. IV, 3; vid. Brisson. de form. et solemn. VI p. 542, Hartung. l. l. p. 245, Rossb. l. l. p. 4.

[2]) De phallo symbolo vid. Herod. I, 49. Aristot. ars. po. 4. Plutarch. de cupid. div. c. 8. Cf. Conzium, Her. u. Gött. p. 36.

[3]) Cf. Baur, Symbol. u. Mythol. II, 2 p. 132. Preller in Paulyi R. E. s. v. Dionysia. — gr. M. I p. 544 sq. Voigt, Beitr. z. Myth. d. Ares u. d. Athene (Lpzg. Stud. IV 1881.) pp. 233, 242, 267.

[4]) De veris ad amorem excitandum vi cf. Pervigil. Ven. v. 2 sq.
Ver novum, ver iam canorum, vere natus orbis est,
Vere concordant amores, vere nubunt alites,

tura etiam ad homines ipsos, ita ut fieret ille deus nuptiarum, quibus legitima liberorum satio sancitur. Cuius rei pauca afferemus testimonia:

Ex versu sane Propertii IV, 17, 5:

Per te (sc. Bacchum) *iunguntur, per te solvuntur amantes,*

vel ex illis Tibulli III, 6, 13 *ille* (sc. Bacchus) *ferocem*
Contudit et dominae misit in arbitrium [1])

nihil sequi videtur, cum illis quidem locis Bacchus fere idem sit atque vinum. Neque ea res nos adiuvat, quod Anacreonteorum 38, 5 poeta Bacchum vocat ὁμότροπον Ἔρωτι et Plinius Secundus (? Anthol. Lat. Meyer I, 194) de Amore et deo nostro dicit:

Ardenti Baccho succenditur ignis Amoris,
Nam sunt unanimi Bacchus Amorque dei,

videtur enim etiam his locis de Baccho vini largitore cogitandum esse. Haud alia res est his in versibus, quamquam sunt captiosi:

Spe multum captus inani
Mactat de more bidentis
Phoeboque patrique Lyaeo,
Cui vincla iugalia curae. [2])

Sunt enim hemistichia contextu erepta et sine iudicio conserta.[3]) At si locum inspicimus Vergilianum Aen. IV v. 57 sq., unde sumpti sunt versus, Bacchum a poeta revera deum nuptialem vel coniugalem existimatum esse videmus. Apud Vergilium Anna Didoni sorori explicat, quam felici usura sit illa sorte, si Aeneas esset maritus:

His dictis impenso animum flammavit amore
Spemque dedit dubiae menti solvitque pudorem.

Et nemus comam resolvit de maritis imbribus
Et recentibus virentes ducit umbras floribus etc.

Ovid. Fast. II, v. 235 sq. Cf. Weinhold l. l. I 285.

[1]) Cf. etiam anthol. Lat. Riese II n. 813 v. 28:

Hortante Baccho et Venere dulces perficit
Aequalitatis inter plausus nuptias.

[2]) Medea Hosidii Getae v. 112 sq. Anth. L. Riese I n. 17. Poet. Lat. min. Baehrens IV Carm. Vergil., Anth. L. Meyer n. 235. Hemistichium illud — cui vincla iugalia curae — legitur etiam v. 29 eiusdem tragoediae et Riese A. L. II n. 750, v. 1.

[3]) De Hosidio Geta cf. Tertull. de praescr. haeret. c. 39: Denique Hosidius Geta Medeam tragoediam ex Vergilio plenissime exsuxit.

Principio delubra adeunt pacemque per aras
Exquirunt, mactant lectas de more bidentis
Legiferae Cereri Phoeboque patrique Lyaeo,
Iunoni ante omnis, cui vincla iugalia curae.

Coniungit igitur poeta hoc loco Bacchum cum diis coniugalibus Cerere, Apolline, Iunone, quod certe non fecisset, si Bacchus a nuptiis coniugiisque [1]) esset alienus.

Apud Statium quoque [2]) et Dracontium [3]) Bacchus ad nuptias venit; his vero poetis non magna auctoritas attribuenda est, cum omnes fere deos deasque ad nuptias venientes fingant.

Multo gravior autem ea res est, quod in Bacchum referebatur origo nucum, [4]) quae quidem in Graecorum et Romano-

---

[1]) Inepta sane quae leguntur apud Servium ad l. l. est etiam sensus altior, nam facturi aliquid ante adversos placamus deos et sic propitios invocamus, — — ergo modo nuptura placat ante Cererem, quae propter raptum filiae nupturas exsecratur, Apollinem, qui expers uxoris est, Liberum qui nisi raptam coniugem habere non potuit etc.

[2]) Epithal. Stell. et Violant. v. 17. Tibi (sc. Stellae) Phoebus et Evan — — serta ferunt. Vid. etiam v. 219 sq. Cf. Gronov. diatr. in Statii silvas IV, 5 cap. 54; C. Barth. ad l. l. Herzog, Stati epithal. p. 39.

[3]) VI, v. 67 Duhn:

Liber pampineis ornatus fronte corymbis
Intrat et uviferos vibrat super agmina thyrsos.

[4]) Comm. Lemovic. ad Verg. eclog. VIII v. 30: Sane fabula de nucis origine talis est: Dion rex Laconiae fuit, qui habuit uxorem Iphitean Prognai filiam, quae cum Apollinem summo cultu et reverentia hospitio recepisset, ille remunerari volens circa se hospitum cultum tribus filiabus eorum, quae Orphe, Lyco et Carya appellatae sunt, divinationem concessit, adiecto, ne proditrices numinum esse vellent neve quaererent, quod esset nefas scire. Post Liber pater adveniens a Dione vel eius uxore receptus hospitio est; qui cum amata a se Carya coitum miscuit; sed cum inde aegre Liber profectus esset, cogente amoris impatientia denuo ad hospites redit causam praetendens dedicandi fani, quod id (ei Lange) rex voverat, sed Lyco et Orphe intellecto circa sororem Caryan Liberi amore eam custodire coeperunt, ne cum Libero ei esset copia coeundi; quas cum Liber pater moneret terreretque,

rum nuptiis effuse adhibebantur. [1]) Sunt autem nuces symbola amoris et uberrimae fecunditatis [2]), quod ex aliorum quoque populorum ritu nuptiali videre licet. [3])

---

ut saltem praecepta Apollinis custodientes pertinacem diligentiam compescerent, videretque ab his et sororem acrius custodiri et suum secretum studiosius inquiri, Orphen et Lyco immisso furore ad Taygetum montem raptas in sacra (saxa Lange) convertit. Caryan vero, quam amaverat, in eodem monte in arborem sui nominis vertit, quae Latine nux dicitur. — Langius (de nexu etc. p. 72) hanc fabulam Hygino tribuit. Cf. de fabula ipsa Em. Braun, gr. Goetterl. p. 551.

[1]) Vid. schol. in Aristoph. Plut. v. 768 *καὶ τοῦ νυμφίου παρὰ τὴν ἑστίαν τραγήματα κατέχεον εἰς σημεῖον εὐετηρίας..... σύγκειται δὲ τὰ καταχέσματα ἀπὸ φοινίκων, κολλύβων, τρωγαλίων, ἰσχάδων καὶ καρύων* Cf. Heysch. s. v. *καταχέσματα*. Theopomp. ap. Suidam s. v.

φέρε σὺ τὰ καταχέσματα
ταχέως κατάχει τοῦ νυμφίου καὶ τῆς κόρης.

— Etiam nostris temporibus Graeci sponsum sponsamque nucibus aliisque rebus fecunditatem significantibus superfundere solent, cf. F. A. Ukert, Gemälde von Griechenland, pp. 143 et 146; C. Wachsmuth, d. alte Griechenland im neuen, p. 92; Fauriel-Müller, neugr. Volkslieder II, 34; Sanders, d. Volksleben d. Neugriechen. p. 86:

ἐκεῖ ἂς ξωδιάσουν τὰ καρυδιά, κ' ἂς χαλασθοῦν οἱ γάμοι.

— In Creta insula virgo amica novae nuptae domum intranti affert mel et nuces (*μελοκάρυδον*) cf. E. Bybilakis, neugr. Leben p. 38. Wachsmuth, l. l. p. 95. — De Romanorum more cf. Catull. LXI v. 124 sq. Fest. s. v. nuces. Comm. Lem. ad Verg. Ecl. VIII, v. 30: quidam putant, quod haec esca ad incitandam Venerem faciat. Schol. ad Pers. sat. I, v. 10. Plin. h. n. XV, 22.

[2]) Cf. Sanders, l. l. p. 68:

'τί τοῦ γέρου τὰ κανάκια
σὰ νερόβραστα σπανάκια;
'τί τοῦ νεοῦ τὰ παιχνιδάκια
εἶναι μοσχοκαρυδάκια.

Uberius de nucum significatione egit Mannhardt l. l. p. 184 sq. et Zeitschr. f. deutsche Mythol. III p. 95: »Nüsse knacken war ein Euphemismus für Zeugung, wenn's viele Nüsse giebt, heisst es, giebt es viele Kinder der Liebe.« Proverbium Alsaticum: wo's nusse gît, gît's au bengel. Cf. Zingerle, Iohannessegen p. 36; Weinhold, altnord. Leben p. 81; Kuhn, westfäl. Sagen II, 45; H. Ploss, das Weib I p. 343; Erlach, Volkslied. d. Deutsch. I p. 153; Arnim u. Brentano, d. Knaben Wunderhorn XIII p. 272.

[3]) Utebantur vel utuntur etiam hodie nucibus ad indicandam fertili-

Etiam mala, quae apud omnes fere nationes et amoris et fecunditatis signa sunt [1]) et in nuptiis maxime adhibentur, apud Graecos Baccho erant sacra, ut tradit scholiasta ad Theocr. id. II v. 120: *μῆλα ἔχων ἐν κόλποις τὰ ἐράσμια καὶ ἔρωτος ποιητικά. λέγοι δ' ἂν τοῦτο καθὸ ὑπὸ Ἀφροδίτης διδόμενα τῷ Ἱππομένει μῆλα ἐκ Διονύσου, οἷς στεφανοῦνται. ταῦτα δὲ εἰς ἔρωτα τὴν Ἀταλάντην ἐκίνησεν, ὥς φησι Φιλητᾶς.*

τά οἵ ποτε Κύπρις ἑλοῖσα
μῆλα Διωνύσου δῶκεν ἀπὸ κροτάφων.

Ad Bacchum nuptialem spectat praeterea nostra opinione mos vetustus Atheniensium, cuius Hesychius [2]) facit mentionem. Iungebant illi uxorem archontis *τοῦ βασιλέως* iusto matrimonio cum Baccho. [3]) Apud eosdem mensis *Γαμηλιὼν* antiquis temporibus non aliter atque apud ceteros Iones [4]) vocabatur *Ληναιών*,[5])

---

atem in nuptiarum celebratione Indi (Haas, ind. Hochztsspr. pp. 298, 299, 300. Ind. Stud. V) Itali Siculique (Düringsfeld, Hochzeitsbuch pp. 96, 101, 102), Daci (Sulzer, Gesch. d. transsilv. Dacien. II p. 304.), Moesi (W. Derblich, Land u. Leute d. Moldau u. Walachei, p. 140. Düringsfeld l. l. p. 78.), Francogalli (Mannhardt, Ztschr. f. d. M. III p. 95), Germani (Mannhardt. l. l. p. 100. Kuhn, märk. Sgn. p. 356. Cf. etiam Erlach, d. Volkslieder d. Deutschen III p. 327.)

[1]) De veteribus Graecis cf. Clearchum ap. Athen. XII, 553 e; Schol. ad Aristoph. nub. v. 997; Schol. ad Theocr. Id. V v. 88; VI v. 6. Diogenian. VI, 63; III, 63. Apostol. V, 51; XII, 91. Heysch. s. v. *μηλοβολεῖν*. Phot. s. v. *μήλῳ βάλλειν*. Suid. s. v. v. *βάλλειν* et *μήλῳ*. Vide praeterea annotationem Rohdii, griech. Rom. p. 46. Ukert, Gemälde v. Griechenland p. 159. Fauriel-Müller l. l. I. p. XXI. Bybilakis, l. l. p. 25. Wachsmuth. l. l. p. 83. B. Schmidt, griech. Märch. pp. 140 et 120. Hahn, griech. u. alban. Märch. I pp. 79, 90, 94, 197; II p. 33. Arth. et Alb. Schott, walach. Märch. p. 73. Fr. Krauss, Sitte u. Brauch d. Südslaven. Wien, 1885 pp. 369, 386, 396, 417, (cuius operis ut nonnullorum aliorum notitiam benevolentiae v. d. Richardi Scheppigii debeo.) Wuk Stephanowitsch Karadschitsch, Volksmärch. d. Serben p. 121 not. Grimm, Kinder- u. Hausmärch. ed. XII. Berl. 1873 p. 76. I. W. Wolf, deutsche Hausmärch. p. 134.

[2]) S. v. *Διονύσου γάμος· τῆς τοῦ βασιλέως γυναικὸς καὶ θεοῦ γίνεται γάμος.* Cf. etiam Demosthen. in Neaer. p. 136 sq. Mueller, Etr. II p. 98.

[3]) Aliam explicationem moris praebet Preller, gr. M. I p. 554.

[4]) Cf. Boeckh, v. Untersch. d. att. Lenaeen, Anthest. u. ländl. Dionys. p 52. (Abh. d. kön. Acad. d. Wissensch. in Berlin 1816—17 philos. Kl.) Hermann üb. gr. Monatsk. pp. 63 et 91 (Abhandl. d. Kön. Ges. d. Wiss. zu Göttingen II, 1842—44), Preller l. l. I p. 553.

[5]) Schol. ad Hesiod. op. et dies v. 502: *Πλούταρχος οὐδένα φησὶ*

quo agebantur Baccho Lenaea. [1]) Nomen autem *Γαμηλιὼν* mensi illi sine dubio datum est propterea quod hoc anni tempus aptissimum matrimoniis ineundis a veteribus habebatur.[2]) Etiam *Θεοδαίσιος* [3]) Bacchi cognomen ad nuptias referendum est, cum vox *δαίειν*, ut recte perspexit Prellerus, [4]) inprimis de nuptialibus epulis [5]) dicatur. Idem nomen occurrit etiam in Iunone, summa coniugiorum dea, Hesych. s. v. *Ἡρόχια· τὰ θεοδαίσια· οἱ δὲ ἑορτήν. οἱ δὲ ἱερά.*

Praeterea haec res non parvi est momenti, quod in nuptiis et in Bacchi mysteriis eadem invenimus verba sollemnia. Gratulatio enim sacris initiatorum erat Firmico Materno [6]) teste: *χαῖρε νυμφίε;* etiam formula illa in nuptiis [7]) maxime usitata: *ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον* in mysteriis adhibebatur, Demosth. de coron. p. 313: *ἀνὴρ δὲ γενόμενος τῇ μητρὶ τελούσῃ τὰς βίβλους ἀνεγίγνωσκες, καὶ τἆλλα συνεσκευωροῦ τὴν μὲν*

μῆνα Ληναιῶνα Βοιωτοὺς καλεῖν, ὑποπτεύει δὲ ἢ τὸν Βουκάτιον... ἢ τὸν Ἕρμαιον, ὅς ἐστι μετὰ τὸν Βουκάτιον καὶ εἰς ταὐτὸ ἐρχόμενος τῷ Γαμηλιῶνι, καθ' ὃν τὰ Λήναια παρ' Ἀθηναίοις.

[1]) Hesych. s. v. *Ληναιών· καὶ γὰρ Ἀθηναῖοι τὴν τῶν Ληναίων ἑορτὴν ἐν αὐτῷ ἄγουσιν.* Anecd. Gr. Bekker. I p. 235: *τὰ δὲ Λήναια Γαμηλιῶνος*, cf. schol. in Aristoph. equit. v. 547.

[2]) Cf. M. Guys, voyage littéraire de la Grèce I p. 221. Gubernatis, l. l. p. 24; Cecilium Smith, Journal of Hell. stud. I, p. 204.

[3]) Hesych. s. v. *Θεοδαίσιος· ὁ Διόνυσος.* Audimus etiam de Bacchi sollemnibus, quae vocabantur *Θεοδαίσια*, Suid. s. v. *Ἀστυδρόμια· Θεοδαίσια ἑορτή, ἐν ᾗ ἐτίμων Διόνυσον καὶ τὰς Νύμφας*, et de mense ita appellato Cretensium (Hermann, gr. Monatsk. p. 62.), Coorum (Ross, inscr. ined. III n. 311), Rhodiorum (cf. Franz, Philol. VI, p. 278.. Andrii quoque diem festum celebrabant *Θευδαίσια*, Pausan. VI 26, 1. Plin. h. n. II 106. XXXI 13.

[4]) D. kret. Dionysos (Arch. Ztg. 1855, p. 11; ausgew. Aufs. p. 293 sq.).

[5]) Cf. locos a Prellero laudatos: Il. XIX v. 299: *δαίσειν δὲ γάμον.* Euripid. Iph. A. v. 123: *δαίσομεν ὑμεναίους*, — v. 707 *ἔδαισεν γάμους.* Diod. Sic V, 49. Aelian. V. H. XXXIV 1 *γαμοδαίσια* etc.

[6]) De err. prof. rel. c. 19.

[7]) Suid. s. v. *ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον· τάττεται ἐπὶ τῶν ἀπὸ κακοῦ εἰς κρεῖττον ἐλθόντων. ἔθος γὰρ Ἀθήνησιν ἐν γάμοις στέφεσθαι ἀμφιθαλῆ παῖδα, ἀκάνθας μετὰ δρυΐνων καρπῶν φέροντα καὶ λίκνον πλήρες ἄρτων λέγειν τὸ προκείμενον, αἰνισσόμενον τὴν ἐπὶ τὸ κρεῖττον μεταβολήν· τὸ γὰρ ἐκ τῶν δρυῶν καὶ ἀκανθῶν στέμμα κακὸν ἔλεγον.* Cf. Plutarch. proverb. Alex. XVI. Zenob. III 98; verba *ἐν τοῖς γάμοις* omissa sunt apud Hesych., Arsen. viol. p. 247 Walz., Apostol. IX 37; vid. Stephani. C. R. p. 1861 p. 169. Rossb. Unts. p. 225.

νύκια νεβρίζων καὶ κρατηρίζων καὶ καθαίρων τοὺς τελουμένους καὶ ἀπομάττων τῷ πηλῷ καὶ τοῖς πιτύροις καὶ ἀνιστὰς ἀπὸ τοῦ καθαρμοῦ καὶ κελεύων λέγειν· ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον. [1])

Pro nuptiali et coniugali Bacchi vi etiam ea res non levissimum argumentum praebere videtur, quod deus ille venereis operibus et fecunditati humanae praeesse credebatur. Nam ut omittamus feminas Naxo in insula, peculiari Bacchi domicilo, [2]) iam octavo mense parere [3]) dictas esse, Augustinus de civ. dei VI 9: *Liberum*, inquit, *a liberamento appellatum volunt, quod mares in coeundo per eius beneficium emissis seminibus liberentur ...... et ob haec Libero eandem virilem corporis partem in templo poni* etc. Quo ex loco neglecta stulta etymologia sane sumendum est Bacchum cum liberorum procreatione artissime coniunctum fuisse. Ad idem, non solum ad agrorum fertilitatem, spectasse phallophoria, [4]) quae in Bacchi honorem a veteribus agebantur, tam manifestum est, ut in ea re diutius commorari non necesse sit.

Maxime autem vis nuptialis Bacchi elucet ex eius cognomine *ὑμεναῖος*, quod legimus in hymno abecedario facto ad similitudi-

---

[1]) Cf. Lobeck, Aglaoph. p. 646.

[2]) Ovid. met. III v. 336
Naxon, ait Liber, cursus advertite nostros,
Illa mihi domus est.
Hesych. s. v. *Νάξος· ἱερὰ Διονύσου.*

[3]) Stephan. Byz. s. v. *Νάξος· Ἀσκληπιάδης ἱστορεῖ τὰς Ναξίας γυναῖκας μόνας ὀκτάμηνα τίκτειν ἢ διὰ τὸ τὴν Ἥραν φίλην γενομένην τῷ Διονύσῳ ταῖς Ναξίαις τοῦτο δῶρον παρασχεῖν, ἢ ὅτι καὶ αὐτὸς ὁ Διόνυσος οὕτως ἐτέχθη.*

[4]) Suid. s. v. *Φαλλοί· αἰδοῖον σύκινον· ὕστερον δὲ ἐκ δερμάτων ἐρυθρῶν, σχῆμα αἰδοίου ἔχοντες ἀνδρείου, καὶ τοῦτο ἑαυτοῖς περιθέμενοι ἔν τε τοῖς τραχήλοις καὶ μέσοις τοῖς μηροῖς ἐξωρχοῦντο τιμὴν τῷ Διονύσῳ ἐν τοῖς Διονυσίοις ἄγοντες.* Cf. Hesych. s. v. *φαλλικά.* Schol. ad Lucian. D. Syr. 16. Cosm. ad Gregor. Nazianz. spicil. Rom. II p. 157 et 261. — Bernhardyus ad l. l. Suidae: verum haec omnia *Φαλλοί· αἰδοῖον σύκινον* (immo *σκύτινον*) tolli debent .... falso ut nobis videtur, cf. Nonn. narr. ad Gregor. inv. I, 37. (Append. narrat. Westermann XXII): *αἰδοῖον ξύλινον ἐκ συκίνου ξύλου ἐπελέκησε.* Anon. misc. Westermann VII p. 348; *συκίνῳ φάλλητι.* De fico Baccho sacra cf. Etym. Magn. s. v. *Θρίαμβος.*

nem hymnorum in sacris adhibitorum, anth. Pal. IX 524, v. 21 [1]). En habemus Bacchi cognomen, ex quo Hymenaeus deus nuptialis ortus est! Nulla enim exstat causa, cur hoc epitheton non verum Bacchi esse censeamus, etsi hymnus ille non est vetustissimus Orphicorumque redolet doctrinam. Cogebatur nimirum poeta, cum singulos versus cognominibus eadem littera incipientibus implere vellet, epitheta requirere antiqua et rara. Ita factum est, ut tantum hoc loco de vetere Bacchi cognomine *ὑμενήϊος* audiamus, quod ad dei nuptialem vim spectare quivis concedet.[2])

Nostra igitur opinione *Ὑμήν* sive *Ὑμέναιος* [3]) principio erat cognomen Bacchi, quo significabatur vis eius procreandi. Ab hoc nomine carmen ipsum, quo invocabatur Bacchus *Ὑμενήϊος* in nuptiis, progeniem uti daret, appellatum est *ὑμέναιος* [4]); qui hymenaeus cantus postea, cum vera origo in dies magis oblivione obruereretur, pro Graecorum more persona indutus est; ac dabantur novo deo non aliter atque Lino et Ialemo, parentes Apollo et Musa. Memoriam autem Bacchi Hymenaei non plane oblitteratam esse elucet ex fabulis, quibus Bacchus pater vel amator dei nuptialis fingebatur.

At ea quae adhuc disputavimus nondum sufficiunt coniecturae nostrae stabiliendae. Alia argumenta et graviora quidem arcessenda sunt, quibus quod contendimus haud vanum esse inventum demonstretur. Quod non ita difficile est! Exstant enim inter Bacchum et Hymenaeum tot tantaeque similitudines, ut coniecturae nostrae validum sane fulcrum concilietur. De his iam

---

[1]) Cf. Eudoc. viol. 272 Flach.

[2]) Non recte nostra opinione Stephanus s. v. explicat: Bacchus nuptialis, quia in nuptiis potationi indulgetur. Iacobs, anthol. Gr. X p. 410: *ὑμενήϊος* ad venereos amplexus provocans.

[3]) *Ὑμέναιον* esse vocem denominativam formatam ab *Ὑμήν* per suffixum *αιος* elucet. Aliter veteres existimaverunt, Apollon. Dyscol. in anecd. Gr. Bekker. II p. 567 *ὅτι γὰρ δύο συλλαβῶν ἀποκοπαὶ γίνονται, ἐν τῷ περὶ παθῶν ἐδείχθη: τό τε γὰρ πρόσπαρ οὕτως ἔχει καὶ τὸ μάκαρ, πηδὰ καὶ τὸ μὲν ὑμὲν παρὰ Καλλιμάχῳ.* Hellad. chrest. ap. Phot. bibl. p. 531 a 8 *ὥσπερ καὶ τὸ ὑμέναιε γέγονεν ἀποκοπὲν ὑμέν.* Cf. Dilthey, de Callimach. Cydipp. p. 97.

[4]) Cf. dithyrambum et paeanem, carminum genera item ex deorum cognominibus appellata.

nobis agendum est; ac primum de iis, quae positae sunt in specie cultuque deorum, deinde de iis, quae in natura sollemnium, denique de iis, quae in miro fabularum quarundam consensu.

Qua in re praetermittere nolumus nonnullas similitudines, quae inter Bacchum et Hymenaeum exstent, etiam inter Apollinem deumque nostrum reperiri. Hoc autem mirum non est: cum enim cantus nuptialis persona indueretur, novo deo ex rei natura multa, quae ad Apollinem, omnis cantus magistrum atque artificem, spectabant, attributa sunt. At dicemus de his rebus singillatim accuratius.

I.

Similitudines deorum, de quibus primo loco verba facere nobis proposuimus, pertinent ad eorum figuram, speciem, cultum, vestem.

Graecos Bacchum duplicem in modum finxisse nemo est qui non sciat.[1]) Fingebatur vel vir provectae iam aetatis, pulcher, bene iubatus et barbatus, vel adulescens formosissimus

... νεηνίῃ ἀνδρὶ ἐοικὼς
πρωτήβῃ.[2])

Atque hoc quidem loco res nobis est cum Baccho adulescente, cuius pulchritudinem eximiam et prorsus divinam veteres etiam atque etiam praedicabant. Vocatur deus *ἀγλαόμορφος*.[3]) *ἀνθηρός*,[4]) *ἁπαλός*.[5]) *ἐπιφανέστατος*,[6]) *ἱμέρῳ βρεόμενος*.[7]) *καλός*.[8]) *διαπρεπέστατος*.[9]) *χαρί-*

[1]) Cf. Diod. Sic. III 63; IV 5 *Δίμορφον δ᾽αὐτὸν δοκεῖν ὑπάρχειν, διὰ τὸ δύο Διονύσους γεγονέναι, τὸν μὲν παλαιόν, καταπώγωνα, διὰ τὸ τοὺς ἀρχαίους πάντας πωγωνοτροφεῖν, τὸν δὲ νεώτερον ὡραῖον καὶ τρυφερὸν καὶ νέον.*

[2]) Hom. Hymn. in Bacch. v. 3.

[3]) C. I. Gr. n. 38. Anth. Pal. IX 524, v. 2.

[4]) Callistr. *ἔκφρ.* 8.

[5]) Anacr. XXXVII v. 8. Aristoph. Thesm. v. 191; Diod. Sic. IV 4; Callistrat. *ἔκφρ.* 8. Anth. Plan. IV 99.

[6]) C. I. Gr. 1948. 3979. 5790 add. 5790 b.

[7]) Vid. not. 4.

[8]) Anacr. IV v. 20; XL v. 9; XLIII v. 13. Lucian. deor. dial. 23. Himer. or. XXI 5. Cf. Oppian. Cyneg. I v. 357 sq. Vas pictum apud Lenormant et de Witte, élite des monuments céramographiques vol. I pl. XLVI.

[9]) Clem. Rom. Homil. V 14; Diod. Sic. III 64 *κάλλει διάφορος.*

εις.[1] *ὡραῖος;*[2] *candidus,*[3] *caput honestum,*[4] *dulcis,*[5] *formosus,*[6] *formosissimus,*[7] *pulcher,*[8] *pulcherrimus,*[9] *tener.*[10]

Iuventus autem eius erat aeterna:

.... *Tibi enim inconsumpta iuventa est,*
Tu puer aeternus.[11]

At hae quidem res, pulchritudo iuventusque, aliis quoque diis vindicantur a veteribus, ut Apollini,[12] quocum ut cum Mercurio[13] saepe eas ob res Bacchus[14] coniungitur. Una vero res Baccho attribuitur, quam ceteri dei non habent, forma muliebris.[15]

Hanc in omnibus fere dei imaginibus videre licet: spectatur enim Bacchus, ut ait Winckelmannus[16] „*mit feinen und rundlichen Gliedern und mit völligen und ausschweifenden Hüften des weiblichen Geschlechts.*“ Iure igitur Hirtius[17] verba Aristidea[18]

---

[1]) Anth. Pal. IX 524, v. 23.

[2]) Diod. Sic. IV 5.

[3]) Tibull. III 6 v. 1. Ovid. Fast. III v. 772.

[4]) Verg. G. II v. 392.

[5]) (Vergil.) Dir. v. 115 (*ἥδιστος* Theocrit. epigr. IV v. 2.)

[6]) Senec. Oed. 521. Priap. 39 v. 3.

[7]) Ovid. met. IV v. 18.

[8]) Avien. descr. terr. v. 752; cf. Ovid. metam. III v. 421.

[9]) Ovid. Trist. V 3 v. 43.

[10]) Tibull. II 3 v. 63. Stat. Theb. II v. 72.

[11]) Ovid. met. IV v. 17. Cf. etiam Fast. III v. 774. Diod. Sic. IV 5.

[12]) A. *ἀγλαόμορφος* Anth. Pal. IX 525; *καλὸς* Lucian. deor. dial. 23; formosus Tibull. II 3, v. 11; III 4, v. 25; pulcher Tibull. II 5, 7. Anth. Lat. Riese II n. 672 v. 7; imberbis Lactant. div. inst. II 4. Tertull. ad nat. I, 10.

[13]) Priap. XXXIX v. 1.

[14]) Tibull. I, 4, v. 37. Seneca in anth. Lat. Riese I p. 276, 40 v. 1. (Baehrens poet. Lat. min. IV 43)

[15]) Euseb. praep. ev. III p. 109. Isid. etym. VIII 2. Albric. d. d. imag. XIX.

[16]) Gesch. d. K. d. A. V 1 § 21; cf. etiam Mon. ant. ined. I p LXI: perciò Bacco nelle figure panneggiate può rassomigliarsi a una vergine travestita. Millin, G. M. I p. 180. Visconti, Mus. Pio-Clem. II p. 208 sq. Musée Napoléon I n. 78. Braun, gr. Gttl. p. 508. Conze, Her. u. Goett. p. 37.

[17]) Bldb. f. Myth. I p. 81.

[18]) T. I p. 29; cf. Eurip. Bacch. v. 286 *χάριτας Ἀφροδίτης ἔχων*; Euseb. pr. ev. III 109 d. Chronic. ed. Schoene II p. 44. an. 720. Arnob. adv. nat. VI 12. Isid. etym. VIII 2.

paullulum mutans dicere potuit: „*Bacchus ist die Venus unter den Gestalten der männlichen Jugend.*“

Neque mirum in tam muliebri dei pulchritudine, quod marmora quaedam Bacchi capita diu feminarum credita sunt, ut quae dicebatur Ariadne sive Leucothea Capitolina [1]) et Corinna [2]) villae Albanae.

Optime illam muliebrem Bacchi formam describit Euripides: [3])

πλόκαμός τε γάρ σου ταναός. . . .
γένυν παρ' αὐτὴν κεχυμένος πόθου πλέων.
λευκὴν δὲ χροιὰν ἐς παρασκευὴν ἔχεις,
οὐχ ἡλίου βολαῖσιν ἀλλ' ὑπὸ σκιᾶς,
τὴν Ἀφροδίτην καλλονῇ θηρώμενος.

Alii poetae aperte loquuntur de virginea dei forma,[4]) ipse apud Ovidium [5]) et Senecam [6]) vocatur *virgineum caput*, apud Lucianum [7]) *θῆλυς καὶ γυναικεῖος τὴν ὄψιν.* Ad eandem rem spectant epitheta quaedam Baccho data: *γύννις.* [8]) *γύναιος,* [9]) *θηλύμορφος,* [10]) *ἀρσενόθηλυς.* [11]) *ἀνδρόγυνος,* [12]) ipsumque Graecum dei nomen

---

[1]) Vid. Righetti Mus. Cap. I, 7. Winckelmann, M. I. n. 55. Bouillon, Mus. Pl. 77. Musée Napol. III n. 9. Meyer, Propyl. II 1. 63. Friederichs, Baust. I n. 628. Müller-Wieseler, Dkm. II 33, 375. Braun, gr. Gtl. p. 527.

[2]) Welcker, Dkm. V p. 38. Hirt, Bldb. I p. 79. De similibus erroribus vid. Helbig, Camp. Wdgm. nn. 384 et 454.

[3]) Bacch. v. 451 sq.

[4]) Ovid. met. III v. 607 Priap. 36 v. 4.

[5]) Met. IV v. 20.

[6]) Oed. v. 408.

[7]) Deor. conc. 4; cf. etiam Firm. Mat. d. error. VI, 6.

[8]) Aeschyl. ap. Aristoph. Thesm. v. 136. Nicet. epith. deor. Westermann p. 355. Cornut. theol. Gr. c. 30.

[9]) Clem. Alex. Protr. 23.

[10]) Eurip. Bacch. v. 353. Eudoc. viol. 272 Flach.

[11]) Philochor. frg. 23 Müller.

[12]) Suidas s. v. — Theodoret. hist. eccles. III cap. 7: *ἐν Ἐμέσῃ δὲ τῇ ὁμόρῳ πόλει Διονύσῳ τῷ γύννιδι τὴν νεόδμητον ἀφιέρωσαν ἐκκλησίαν, τὸ καταγέλαστον καὶ ἀνδρόγυνον ἐν αὐτῇ ἱδρύσαντες ἄγαλμα* (Niceph. eccles. hist. X, cap. 9. Porro Emesae — Dionyso, mulliebri mancipio, aedem sacram dedicarunt, atque ibi statuam Androgyni ambiguo inter marem et feminam sexu ridiculam ei collocarunt) Nonn. ad Gregor. Theolog. Graec. hist. p.

Διονῦς[1]) valere creditum est hominem mollem effeminatumque.[2])

Hac vero cum Bacchi pulchritudine conferamus quae nobis tradita sunt de Hymenaeo. Is quoque ferebatur adulescens[3]) magna praeditus venustate;[4]) gravissimum autem, quod eius forma muliebris est. Cornelius Balbus apud commentatorem Floriacensem Vergilii ad Aen. IV 127: *Hymenaeum Magnetis filium, musicae artis peritum, pulchritudine muliebri* etc.; commentator ipse alio loco, Aen. IV 99: *Hymenaeus Atheniensis adeo pulcher fuit, ut adulescens puella putaretur,* — quae verba Lactantius ad Stat. Theb. III 283 mutavit in: *Hymenaeus ea pulchritudine praeditus fuisse dicitur, ut feminam mentiretur.* Idem praebent mythographi Vaticani I 75; II 219; III 11, 3.

Videmus igitur muliebrem Hymenaei formam non in una tantum fabula, sed in duabus diversis, ita ut iure conicere possimus hanc dei nuptialis pulchritudinem inter Graecos fuisse satis cognitam. Quae vero causa cogitari potest, cur Hymenaeum muliebri fingerent specie veteres? Nulla sane probabilis, ut nobis quidem videtur, nisi origo eius a Baccho repetenda. Quod etiam quae sequuntur ostendent.

Haec quam exposuimus Bacchi Hymenaeique pulchritudo muliebris sine dubio erat causa, cur uterque pathicus esse diceretur. De multis dei nuptialis amatoribus, quorum nomina fabula retinuit, supra diximus: erant Apollo, Bacchus, Hesperus, Argynnus, Thamyras. De Bacchi obscoenis amoribus apud

---

383 (spicileg. Rom. II.) Cosm. Hierosolym. collect. et interpr. hist. divi Gregor. III 502 (spicileg. Rom. II): *τινὲς δὲ ταύτῃ καὶ ἀνδρόγυνόν φασιν, ὡς ἐν κοιλίᾳ Σεμέλης καὶ ἐν τῷ μηρῷ τραφέντα τοῦ Διός.*

[1]) E. M. s. v. *Διονῦς ὁ Διόνυσος*; anecd. Gr. Bachm. I p. 439 *Διονῦς· ὄνομα κύριον Διονύσου.*

[2]) Hesych. s. v. *διονῦς· ὁ γυναικίας καὶ παράθηλυς.* E. M. s. v.

[3]) Schol. Il. XVIII 493 et Eustath. ad l. l. *νεανίας*; Anton. Liber. Transf. XXIII *παῖς*; Aetio (Lucian. Aet. V.) pinxerat Hymenaeum *μειράκιον πάνυ ὡραῖον*; Serv. ad Verg. Aen. I 651 iuvenis, IV 99 adulescens, Ecl. VIII 30 puer.

[4]) Eustath. l. l. *περικαλλὴς νεανίας*, Anton. Lib. l. l. *περίβλεπτος τὴν ὄψιν*, comm. Lemov. ad Verg. Ecl. VIII 30 speciosus.

Clementem Romanum audimus homil. V 15 [1]), ubi Adonis, [2]) Ampelus, [3]) Hermaphroditus, Achilles una cum Hymenaeo nostro illius amasii enumerantur. His ex aliis scriptoribus [4]) addere possumus Prosymnum sive Polymnum. Pervulgatam autem fuisse hanc de Baccho pathico et cinaedo opinionem patet ex Iulio Firmico de err. prof. rel. VII 7 [5]) *Bacchum effeminatum fuisse et amatorum servisse libidinibus Graecorum gymnasiis decantatur.*

Alia deinde nostrorum deorum similitudo ea in re spectatur, quod ambo erant bene capillati; nominatur Bacchus εὐρυχαίτης, [6]) εὐχαίτης, [7]) ἁβροκόμης, [8]) indetonsus, [9]) Hymenaeus εὐχαίτης et ἁβροκόμης. [10]) Color quoque

---

[1]) Cf. etiam IV 15.

[2]) Recta sane coniectura Wieseleri (adnotatt. crit. ad Cl. Rom. p. 272), qui Διόνυσος Λαόνιδος (ἐρᾷ) mutavit in Δ. Ἀδώνιδος. Mendum inesse voci iam Schweglerus annott. crit. p. 155, 19 intellexerat. — Hunc Bacchi in Adonidem Cyprium amorem a Phanocle celebratum esse ἐν Ἔρωσιν ἢ καλοῖς Plutarchus symp. IV 5, 3 testatur; cf. de ea re Prellerum, rhein. Mus. N. F. IV 1846 p. 403.

[3]) Ovid. Fast. III v. 409. Nonn. Dion. XI passim.

[4]) Clem. Alex. Protr. 34. Arnob. adv. nat. V 28; Nonnus ad Greg. Nazianz. I n. 36 p. 507 B. Anon. misc. VII. App. narr. XXII Westermann; de varietate nominis vide annotationes Orellii ad locum Arnobii, Potteri ad Clement. Alexand. (Dindorf. IV p. 22.) Nostra opinione recte scribitur Prosymnus. Fabula illa, quam narrant auctores laudati, est iuxta lacum Lernaeum, ubi fanum erat Cereris Prosymnae. Cf. Pausan. II 37. Baur, Symb. und Myth. II 2 p. 363 Polymnum somni mortisque genium (ὕπνος) esse voluit. Buttmann, Mythologus II p. 102 coniecit Πρόσλιμνος.

[5]) Cf. XII 4; Diod. Sic. IV 4 πρὸς τὰς ἀφροδισιακὰς ἡδονὰς εὐκατάφορον γεγονέναι. Arnob. V 29. Nonn. ad Greg. Naz. II n. 24 p. 527 B.

[6]) Pind. I. VII v. 4.

[7]) Anth. Pal. XI 409. Nonn. Dion. XXIX 15. Anth. Pal. IX 524; XI 409. Himer. or. XXI § 8. Cf. Annal. d. I. 1834 p. 207.

[8]) Anth. Pal. IX 524.

[9]) Ovid. met. IV 13.

[10]) Nonn. Dion. XXXIII 67, Anth. Pal. IX 321. Schneiderus hoc epigramma, quod in anthologia Antimachi nomen prae se fert, inter epigrammata incerta Callimachi (9) refert iure, ut nobis videtur, cum de Antimacho epigrammatum poeta nusquam alibi audiamus, et ipsorum versiculorum forma sensusque melius conveniant aetati Callimacheae quam Antimacheae. — Ceteri loci, quos laudant Diltheius (A. d. I. 1869 p. 32) et Schneiderus pro epi-

comarum idem erat, scilicet flavus. Ac de Baccho quidem flavo apud Hesiodum [1]) multosque alios scriptores [2]) legimus; Himerio [3]) teste barbam quoque flavam habuit deus. Hymenaeus autem χρυσοκόμης vocatur in epigrammate anthologiae Planud. IV 177.

Has vero duas res minime grave praebere argumentum ad originem dei nuptialis a Baccho repetendam libenter concedimus. Est enim Apollo quoque ἁβροχαίτης, [4]) ἀκερσεκόμης, [5]) κομήτης, [6]) intonsis comis superbus, [7]) χρυσοκόμης, [8]) χρυσέαισιν ἀγαλλόμενος κόμαις. [9]) At utut res se habet, sive copiam comarum et colorem debet Hymenaeus Baccho, ut nobis videtur, sive Apollini, ut fortasse aliis, eam omnino negligere noluimus.

Eandem praeterea conferunt curam dei ad crines ornandos: utuntur large unguentis aromatisque. [10]) Quod quidem in Baccho, conditore odorum, [11]) quem Iupiter pater in Arabia,

---

thetis Hymenaeo datis: ἁβροκόμης, εὐχαίτης, χρυσοκόμης Nonn. Dion. XIII 84; XXIX 15; XIII 91, 92 non ad deum nuptialem, sed ad Boeotorum ducem, de quo supra diximus, spectant. — H. ἁβροκόμης Nonn. Dion. XXXIII 81. — De Bacchi capillis vid. Winckelmann. mon. ined. I p. LVII.

[1]) Theog. v. 947 ξανθοκάρηνος; cf. schol. ad loc.

[2]) Eurip. Bacch. v. 235. v. 457 ξανθοῖσι βοστρύχοισιν; Cycl. v. 75. Nonn. Dion. XXX 252. Anth. Pal. I 38, 11. IX 524, 15; Olymp. vit. Plat. p. 5 ed. Herm. C. I. Gr. n. 38. ξανθοκάρηνος; Senec. Oed. v. 421 crine flaventi; Stat. Achill. I v. 611; Nemesian. Eclg. III v. 36 flava tempora.

[3]) Or. XXI 5.

[4]) Anth. Pal. IX 525.

[5]) Hom. Il. XX v. 39. Pausan. V 22, 2. Anthol. Gr. Iac. II 230, 2. Epigr. Gr. Kaibel 800, 801, 1027 (vv. 24 et 42.)

[6]) Lucian. deor. dial. 23.

[7]) Tibull. II 3, 12. Cf. v. 23. II 5, 121. III 4, 27. IV 4, 2. Stat. silv. I 2 v. 2. Petron. c. 109. Anthol. Lat. Meyer I n. 589, II 1167 et 1582.

[8]) Pind. O. VI 70; VII 58. Eurip. Troad. v. 253. Suppl. v. 975. Iphig. T. v. 1236. Aristoph. Av. v. 219. Athen. XIII p. 604 B. Macrob. Sat. I 17.

[9]) Anth. Gr. Iac. II 230, 2. Cf. Stat. Theb. I 698.

[10]) Idem etiam Apollo facit. Cf. Tibull. III 4 v. 82: stillabat Syrio myrtea rore coma.

[11]) Ovid. Fast. III v. 731. Columell. X v. 302.

omnium aromatum odorumque patria, ex femore solvisse ferebatur, [1]) facile explicatur: dei erat mollis et effeminati *madidis murra crinibus* [2]) incedere. Eodem cultu Hymenaeus venit ad nuptias: *coronatis stillant unguenta capillis.* [3]) — Duo sunt unguenta vel aromata, quorum usus Baccho a veteribus praecipue adscribebatur, m u r r a et c r o c u s. [4]) Utrumque invenimus apud Ovidium, met. IV v. 391 sq.

Tympana cum subito non apparentia raucis
Obstrepuere sonis et adunco tibia cornu
Tinnulaque aera sonant, redolent m u r r a q u e c r o c i q u e.

Iisdem vero aromatis in nuptiis maxime utebantur veteres: [5]) Mart. Capell. IX 903

C r o c u m q u e lecto spargite!

Xenoph. symp. II 3 *αἱ μέντοι γυναῖκες ἄλλως τε καὶ ἢν νύμφαι τύχωσιν οὖσαι μ ύ ρ ο υ μὲν τί καὶ προςδέονται; αὐταὶ γὰρ τούτου ὄζουσιν.* [6])

At haec sunt talia, ut ne nos quidem ad nostram opinionem firmandam iis magnam vim tribuamus. Alia vero res spectans ad v e s t i s B a c c h i c a e e t n u p t i a l i s c o l o r e m, de quo nunc agendum, maius nobis praebere videtur argumentum.

Proprius et praecipuus Bacchi color quin fuerit c r o c e u s s i v e l u t e u s, [7]) dubitari non potest. [8]) Ipse deus a veteribus

---

[1]) Dionys. Perieg. v. 939. Tibull. II 2 v. 4. Cf. P. Servius de odoribus p. 37 sq.

[2]) Ovid. met. III v. 55; cf. Tibull. I 7 v. 51. Propert. IV 16 v. 31. Calpurn. Sic. ecl. X v. 20. Nemes. ecl. III v. 20; Aeschyl. ap. Aristoph. Thesm. v. 139. Anth. Pal. IX 386. Arrian. Ind. c. VII. I n c r e d i b i l i a sane quae leguntur apud Heraclitum de i n c r e d i b i l i b u s 25 (Mythogr. Westermann): *τράγων δὲ τρίχας καὶ σκέλη ἐδόκουν ἔχειν* (loquitur de Pane et Satyris) *διὰ τὴν περὶ τὰ λουτρὰ ἀμέλειαν καὶ τὴν περὶ ταῦτα δυσοσμίαν, καὶ διὰ τοῦτο Δ ι ο ν ύ σ ο υ φ ί λ ο ι.*

[3]) Ovid. Her. XXI vv. 161 et 166.

[4]) Cf. Athen. V p. 201 A.

[5]) Cf. Barth, animadv. in Claudian. nupt. Hon. et. Mar. v. 212.

[6]) Cf. Aristoph. Plut. v. 529.

[7]) Serv. ad Verg. Aen. VII v. 26. l u t e a e s t c r o c e i c o l o r i s; Nonius Marc. p. 549 Mercier l u t e u s c o l o r p r o p r i e c r o c i n u s; vid. Gell. N. A. II 26, Fulgent. expos. serm. s. v. p. 398. ed. Non. Gerlach-Roth. Schol. ad Lucan. Pharsal. II, v. 361.

[8]) Cf. Ewald, d. Farbenbewegung, Heft I. das Gelbe, p. 68

crocota sive crocuta indutus fingebatur,[1]) quam ob rem histriones Bacchi partes in scaena agentes eadem utebantur veste.[2]) Cum autem ab illo totius scaenae origo traheretur, omnes histriones luteis soccis uti solebant, id quod ex imaginibus cognosci potest.[3]) Lutea veste etiam comites Bacchi, Silenus[4]) Satyrique circumvagari credebantur, qua de causa in pompa illa a Ptolemaeo Philadelpho Alexandriae in Bacchi honorem instituta colorem croceum sive purpureum (idem fere est) saepissime adhibitum videmus:[5]) vehebatur *ἄγαλμα Διονύσου — χιτῶνα πορφυροῦν ἔχον διάπεζον καὶ ἐπ' αὐτοῦ κροκωτὸν διαφανῆ· περιεβέβλητο δὲ ἱμάτιον πορφυροῦν χρυσοποίκιλον*, sequebantur autem innumerabiles Satyri Silenique *πορφυρᾶς χλαμύδας ἠμφιεσμένοι*. — Fortasse ad Bacchi coloris crocei studium amoremque ea quoque res spectat, quod genus illud hederae propter croceos corymbos *χρυσόκαρπον* vocatum in eius potissimum sollemnibus adhibebatur.[6])

---

[1]) Aesch. ap. Aristoph. Thesm. v. 138. Aristoph. Ran. 46 et schol. ad l.; schol. ad Aristoph. Eccles. v. 332: *κροκώτιον· εἴρηται δ' ἐν Βατράχοις, ὅτι ἔνδυμά ἐστι Διονυσιακὸν ὁ κροκωτός.* Nonn. Dion. XIV 160; Athen. X p. 440 d. Tibull. I 7 46: lutea palla. Apollonio Rhodio teste Gratiae Baccho vestem luteam texuerunt: Argon. IV v. 423

καὶ πέπλον δῶσεν ἱερὸν Ὑψιπυλείης
πορφύρεον· τὸν μέν ῥα Διωνύσῳ κάμον αὐταὶ
Δίῃ ἐν ἀμφιρύτῳ Χάριτες θεαί·

Byssinam vestem, qua item utebatur Bacchus (Eurip. Bacch. v. 82, vid. annot. Salmasii ad Tertull. de pall. p. 290), croceo fuisse colore Vossius mythol. Brf. V p. 43; ad Verg. Georg. II v. 121 p. 313; ad Tibull. V v. 13 contendit. Et recte quidem. Nam anecd. Gr. Bachm. I p. 182. *Βύσσος· στολὴ ἢ ἐσθὸς πορφυροῦν*; color purpureus simillimus croceo, quod elucet ex Lucian. *προλαλ. ὁ Διον.* 2. *Ποδήρης* quoque, quo amictus erat Bacchus in scaena, eodem fuisse colore videtur secundum anecd. Gr. Bachm. I p. 245 *ποδήρης δέ ἐστιν λινεον ἔνδυμα βύσσινον.*

[2]) Pollux IV 117: *ὁ δὲ κροκωτὸς ἱμάτιον· Διόνυσος δὲ αὐτῷ ἐχρῆτο.*

[3]) Cf. Welcker, Alte Dkml. IV p. 10.

[4]) Lucian. *Προλαλ. ὁ Διον.* 2. *ἐν κροκωτῷ καὶ τοῦτον.*

[5]) Cf. Athen. V p. 196 sq.

[6]) Plin. h. n. XVI 147 ..... alii (hederae) crocotum, cuius coronis poetae utuntur, foliis minus nigris, quam quidam Nysiam, alii Bacchicam vocant. Cf. Silium Ital. Pun. VII v. 422 inde nitentem

Lumine purpureo frontem cinxere corymbi.

Anthol. Lat. Meyer I n. 573. apte luteis corymbis. — Vid. Voss,

Eundem colorem croceum sive luteum in Graecorum Romanorumque nuptiis maxime fuisse usitatum omnes sciunt. Crocea vel purpurea plerumque erat vestis nuptialis, [1]) luteum erat flammeum, [2]) lutea reticula, [3]) eodem colore erant vittae sive taeniae, quas sexcentis in imaginibus veterum Amores vel Genii ad sponsam ornandam afferunt, [4]) thalamus [5]) et domus ipsa, in qua celebrabantur nuptiae, velaminibus luteis croco infectis [6]) distincta erant. Itaque picturam illam, quam vocant nuptias Aldobrandinas, inspicientibus color croceus undique in oculos cadit: sponsa sedet luteos gerens soccos in lecto geniali croceis cervicalibus instructo, luteum est sponsi diadema, luteum scabellum, mantele, ministra crocea ornata est fascia. [7])

---

mythol. Brf. IV p. 186, ad Tibull. I, 8 v. 45; Millin, mon. ant. inéd. I p. 140. — Etiam flores, quibus deus se ornat, lutei sive rubri sunt. Sidon. Apoll. Burg. Pont. Leont. v. 29

fert tempus utrumque
Veris opes rutilosque ligat vindemia flores.

Cf. Stat. Theb. V, v. 269. flava crinem distinxerat uva.

[1]) Achill. Tat. II, 11 *ἐώνητο δὲ τῇ κόρῃ τὰ πρὸς τὸν γάμον· περιδέραιον μὲν λίθων ποικίλων, ἐσθῆτα δὲ τὸ πᾶν μὲν πορφυρᾶν, ἔνθα δὲ ταῖς ἄλλαις ἐσθῆσιν ἡ χώρα τῆς πορφύρας, ἐκεῖ χρυσὸς ἦν·* (cf. Bybilakis, neugr. Leben p. 34 de flammeo: *κόκκινη σκέπη σηγαζελίδικη*.) Eutechnii paraphr. Cyneg. Oppian. ad vv. 327—347 *εἰκάσαις ἂν αὐτὸν ἰδὼν ἥρωϊ στεφανηφοροῦντι καὶ ἀναβεβλημένῳ λαμπρὰ καὶ περιπόρφυρα, μύρον τ' ἀποπνέοντι καὶ ἱεμένῳ πρὸς θάλαμον, ὅπουπερ ἐξέσται τῇ νύμφῃ περιτυχεῖν* etc. — Val. Flacc. Argon. VIII v. 233

Ipsa suas illi croceo subtegmine vestes
Induit.

Becker, Charicles II p. 467 croceum colorem in nuptiis Graecorum praecipue usitatum esse negat, sed ne unum quidem argumentum affert.

[2]) Lucan. II v. 361 Lutea demissos velarunt flammea vultus. Claudian. rapt. Proserp. II v. 325. Martial. XII 42 v. 3. Plin. h. n. XXI, 46 lutei video honorem antiquissimis in nuptialibus flammeis totum feminis concessum.

[3]) Fest. p. 286 Regillis, tunicis albis et reticulis luteis.

[4]) Tibull. II, 2 v. 18: Flavaque coniugio vincula portat Amor. Hunc versum imitatus est Claudianus in nupt. Honor. X v. 211

Hinc flava coniugio vincula portat Amor.

[5]) Anth. Pal. VII, 711 *κροκόεις παστάς.*

[6]) Claudian. de nupt. Hon. et Mar. X v. 212.

[7]) Cf. Boettiger, Aldobr. Hochzeit p. 195. Foerster, z. aldobr. H. p. 83 sq. (Arch. Ztg. N. F. VII. 1875.)

Hymenaeus ipse semper amictus est crocea palla,[1]) quid quod apud Catullum venit ad nuptias

niveo gerens
luteum pede soccum. [2])

Habemus igitur eundem colorem et in Baccho et in nuptiis veterum. Quae res quomodo sit explicanda iam quaeramus! Id quidem nemo negabit colorem luteum non esse casu fortuitoque adhibitum nuptiis, sed habere vim quandam symbolicam. Reperimus enim hunc colorem nuptialem non solum apud Graecos Romanosque, sed idem occurrit, quod profecto gravissimum est argumentum, etiam apud veteres Indos [3]) et nostris temporibus apud Graecos, [4]) Italos, [5]) Epirotas, [6]) Dacos, [7]) Istrienses, [8]) Moesos, [9])

---

[1]) Ovid. met. X v. 1 croceo velatus amictu. Heroid. XXI v. 162 Et trahitur multo splendida palla croco.

[2]) C. LXI v 5; cf. Doering. ad l. — Si recta est Graefii emendatio Nonn. Dion. XX v. 229, legimus etiam de Bacchi luteis soccis. Mutavit ille codicum lectionem **Βάκχου ξανθὰ πέτηλα** in **Β. ξ. πέδιλα.** Dubitari sane potest, num necessaria sit mutatio, an verba, quae praebent codices, possint explicari locis Phot. lex. s. v. *μηνίσκους· ὑμένας. πέταλα. περιτραχήλια κόσμια* (id. in anecd. Gr. Bachm. I p. 301.) et Philonis Iudaei vit. Moys. III § 11: *Μίτρα δὲ ἦν ὑπ' αὐτὸ, τοῦ μὴ ψαύειν κεφαλῆς τὸ πέταλον.* Mitra quadrare videtur ad Bacchum *μίτρᾳ ἀναδεδεμένον τὴν κόμην* (Lucian. d. d. XVIII), sed *πέταλον* non esse mitram Philonis loco ipso evincitur. Contra Lucianus de Bacchi croceis calceamentis loquitur *προλ. ὁ Διον.* 2: *Διόνυσος ἐν χρυσῇ ἐμβάδι.*

[3]) Cf. Weber, ind. Stud. V 1862, (Ved. Hochztsspr.). Haas ibid. (Hochztsgebr. d. a. Ind.) p. 295 Sponsa rutila amicta est veste; p. 299 Sponsi sive matertera sive amita aliaque cognata croceis vestimentis indutae nuptiarum adsunt celebrationi; p. 299 Propinqui in fronte croceis lineis notati sponsum ad socerum deducunt; p. 300 Socrus vestem luteam sponso largitur; p. 300 Sponsa incedit ornata monili rutilo nigro (cf. Gubernatis, usi nuziali p. 129.); Weber pp. 207. 208. Haas p. 324, 329, 345, 398 Rutilae boum pelles in solo sternuntur, in quibus nova nupta sedet.

[4]) Ornant sponsam flammeo, Guys, voyage littéraire de la Grèce I p. 228; Ukert, Gemälde v. Griechenland p. 150; Pouqueville, voyage dans la Grèce I p. 383; Bybilakis, neugr. Leben p. 34; I. G. v. Hahn, albanesische Stud. p. 196 n. 16; Wachsmuth, das alte Griechenland im neuen p. 89. — Apud Mainottas tota fere vestis sponsi rubra est. Ukert l. l. p. 212.

[5]) Andr. Tiraquelli, op. omn. II p. 55 s. v. flammeum: vulgus autem Italicum etiam nunc Fazollum vocat. — Gubernatis l. l. p. 128 sq.

Illyrios,[1]) Helvetios,[2]) Carinthios [3]) multasque Germaniae [4]) gentes.

Iam videamus quae vis symbolica colori croceo seu rutilo insit. [5]) Qua in re minime veremur, ne ulli probentur vel quae Festus [6]) de flammei significatione vel quae scholiasta [7]) ad Iuvenalem sat. II v. 124 affert.

Erat potius color croceus in nuptiis adhibitus signum ignis, quod ipsius flammei nomen demonstrat.[8]) Hanc coloris significationem iam diu viri docti perspexerunt, diversas autem opinio-

---

[6]) I. G. v. Hahn, l. l. p. 145. Wachsmuth, l. l. p. 89. Düringsfeld, Hochzeitsbuch, p. 62. — Sponsa calceos quoque rubros fert. Hahn l. l. p. 196 n. 13.

[7]) Sulzer, Gesch. d. transsilvan. Daciens II p. 307.

[8]) Tota vestis sponsae rubra est. Ausland, 1861 p. 874.

[9]) Nova nupta corollam pampineam rubris filis circumligatam in capite gerit. F. Krauss, Sitte u. Brauch d. Südslaven, p. 386.

[1]) Cf. Krauss l. l. p. 386.

[2]) In Helvetiorum nuptiis persaepe occurrunt quae dicuntur ‚gaele Frou', ‚gaele Götti', ‚gaele Gotte' (confer sponsi materteram apud Indos lutea veste amictam); vid. Düringsfeld. l. l. p. 109 sq.

[3]) Sponsa rutilum filum sericum in collo fert, redimiculum eiusdem coloris in capillis; cf. Weinhold, d. deutschen Frauen i. d. Mittelalter ed. II, I pp. 369 et 388.

[4]) Weinh. l. l. I p. 388; Grimm, Kind.- u. Hausmärch. ed. XII p. 251. — Poloni contra colorem rutilum in nuptiis quam religiosissime vitant ut incendia allicientem.

[5]) Germanorum medii aevi opinione color luteus signum erat cum omnis laetitiae tum amoris gaudiorum. Haec autem significatio, quamquam minime a nuptiarum conditione abhorret, profecto ex ipsis nuptiis petita est, non ea, quae inerat ex Indorum sententia colori. — Cf. Wackernagel, d. Farben- u. Blumensprache d. Mittelalt. (kl. Schr. I p. 143 sq. et p. 185. Weinhold, l. l. II pp. 205 et 271. Erlach, Volkslied. d. Deutsch. I p. 233.

[6]) S. v. Flammeo amicitur nubens ominis boni causa, quod eo assidue utebatur flaminica, id est flaminis uxor, cui non licebat facere divortium.

[7]) Vestis pudori similis, quam et propter pudorem accipiebant. Cf. ad sat. VI v. 225: Est enim sanguineum propter ruborem custodiendum.

[8]) Haec fuit sententia Mariani ad epist. VIII Hieronymi, Velum rubrum, quo nuper nuptae mulieres caput partemque faciei tegendo utebantur, flammeum flammeolumque dicebatur; nomen a colore, ut ego existimo, flammas imitante..... tractum est.

nes de igni illo protulerunt, cuius signum esset color luteus nuptialis. Cum enim plerique eo significari ignem foci, quo nova nupta deduceretur, censuerint, Schwartzius [1]) eum ad ἱερὸν γάμον inter tonitrua et fulgura celebratum, Rossbachius [2]) ad ignem sacrorum nuptialium spectare existimarunt.

Nostra opinione nulla illarum explicationum verum assecuta est; videtur nobis color croceus sive rutilus idem valere ac faces Bacchi nuptiarumque, de quibus iam nobis agendum est.

Hanc autem de taedarum vi instituentes quaestionem transimus ad sollemnia deorum examinanda.

II.

Iure quidem in deorum sollemnibus magnam exigere licet similitudinem, si vere Bacchus et Hymenaeus antiquissimis temporibus iidem erant dei. Ea enim quae pertinent ad deorum cultum semper summa cum stabilitate traduntur raroque mutantur. Videbimus spem nostram haud esse vanam.

Bacchi sollemnia noctu esse celebrata neminem fugit; [3]) erant re vera ἄγρυπνοι ἑορταί. [4]) Dei spiritu inflatae Μαινάδες πάννυχοι [5]) νυκτερίοισι χοροῖσι [6]) circumvagabantur, nocturno clamore sonabant Cithaeron [7]) et Parnassus [8]) et Rhodope. [9]) Ipsum deum vocabant idcirco veteres Νυκτήριον, [10]) Νυκτέλιον, [11]) Noc-

---

[1]) Urspr. d. Mythol. p. 24.

[2]) Rossbach, röm. Ehe p. 284.

[3]) Eurip. Bacch. v. 306; v. 482 νύκτωρ τὰ πολλά· — Ion. vv. 715, 1078. Aristoph. Ran. v. 324 sq. Hymn. Orph. LIV v. 10. Plutarch. symp. VI, 7, 2. Diodor. Sic. IV, 15. Nonn. Dion. XLVII v. 728; Cic. de legg. II, 14. Ovid. Met. VI v. 588. Serv. ad. Aen. IV v. 302. Cf. Ross, de Baccho Delphico p. 5; Preller, Jacchos als Jüngling. Arch. Ztg. XXXI p. 108 (ausgew. Aufs. p. 292.)

[4]) Nonn. Dion. IX v. 116.

[5]) Soph. Antig. v. 1162.

[6]) Orph. hymn. XLIX v. 3.

[7]) Pausan. II 2, 6. Verg. Aen. IV v. 303. Ioannes Lyd. d. mens. IV, 38.

[8]) Eurip. Iphig. T. v. 1243.

[9]) Ovid. met. VI v. 589.

[10]) Orph. hymn. LII v. 4. Nonn. Dion. XLIV v. 218 νυκτιφαὲς Διόνυσε.

[11]) Plutarch. Is. et Os. 35. Pausan. I 40, 6. Anth. Pal. IX 523 v.

turnum,[1] *Λαμπτῆρα*[2] fingebantque fratrem[3] vel filium[4] Lunae. Non sine consilio igitur factum est, ut in tympano templi Delphici, quo Bacchus cum Thyiadibus erat effictus, Sol occidens appareret.[5] Erant sollemnia dei tam arte cum facibus coniuncta, ut bene ab Euripide[6] vocarentur *φαναὶ Βάκχου;* fax contra ab eo, cuius sollemnibus maxime adhibebatur, nomen accepit *βάκχος*.[7]

Eadem nocturna celebratio occurrit in nuptiis Graecorum Romanorumque, cum nova nupta facibus praelucentibus in sponsi domum deduceretur. Iam apud Homerum[8] harum taedarum mentio fit, possumusque eas per totum Graecorum Romanorumque litterarum[9] et artificiorum[10] cursum persequi. Erant autem ad

---

14; (Verg.) Cul. 111. Ovid. met. IV 15. Ars am. I 567. Anth. Lat. Meyer. I n. 573.

1) Verg. G. IV v. 521.

2) Pausan. VII 27, 2.

3) Nonn. Dion. XLIV v. 218.

4) Schol. ad Demosth. in Mid. p. 643.

5) Pausan. X, 19, 4. Cf. Ross l. l. p. 25; Welcker, A. Dkm. I p. 151. Stephani, C. R. 1860. t. 3. p. 77; de mense Dadophorio Delphico Baccho sacro vid. Ross l. l. p. 5.

6) Ion. v. 552 cf. Creuzer., S. u. M. III p. 326.

7) Anecd. Gr. Bekker I p. 224. — Suid. s. v. *Δᾳδουχεῖ· Ὡς Ἀθηναίων φασὶν οἱ ταῦτα ἀκριβοῦντες δόκιμοι· εὔξαντο δὲ καὶ τῇ βουλῇ καὶ τῇ Κόρῃ διά τε τῶν ἱεροφαντῶν καὶ τοῦ δᾳδούχου σωτηρίαν αὐτοῖς.* Non dubitamus pro *τῇ βουλῇ*, quod nullum praebet sensum, scribere *τῷ Εὐβουλεῖ*. *Εὐβουλεὺς* cognomen Bacchi, Plut. symp. VII 9, 7; inscr. Gr. Boeckh. II n. 1948. Orph. hym. XXIX v. 6. Bernhardyus coniecit *Βουλαίᾳ*. Cf. Foucart, Bull. de Corr. Hell. VII 387 sq.

8) Il. XVIII v. 493 *δαΐδων ὕπο λαμπομενάων*, cf. Hesiod. scut. Herc. v. 270.

9) Eurip. Hel. v. 722. Ion. v. 1474. Iphig. A. v. 732. Syll. epigr. Gr. Welcker n. 39 *λαμπὰς νυμφική*. Aristoph. Pax. v. 1318. Plutarch. symp. IV, 666, 53. — qu. Rom. 263, 40 et 279, 37. Longus, Pastor. IV, 40. Xenoph. Ephes. I, 10. Pollux III 43. Plaut. Cas. I 1. 30. Terent. Ad. V 7, 9. Senec. controv. III, 21. Propert. V 11 v. 33. Ovid. Fast. VI v. 221. Lucan. Phars. II v. 356. Stat. silv. I 2 v. 4. Achill. II v. 252. Petron. 26. Apul. met. IV, 26 et 33. Claudian. epith. Pallad. et Celer. 31, 33, 97. XL v. 2. Dracont. (Duhn) VI, 59 cf. Varronem ap. scholiastam ad Lucan. Phars. II v. 356: Venienti novae nuptae funale praeluceat. Fest. s. vv. patrimi et rapi. Serv ad Verg. Ecl. VIII, v. 29. Non. s. v. fax.

10) Cf. Furtwängler, Samml. Sabouroff taf. 58, 59.

legitimarum nuptiarum celebrationem tam necessariae, ut sine iis hae omnino fieri non posse putarentur. Hoc elucet ex verbis scholiastae ad Hom. Il. VII, 24: Σκότιος — ἐκ λαθραίας μίξεως τὸν λάθρα γεγεννημένον καὶ οὐκ ἐκ τῆς κατὰ τὸν νόμον γαμηθείσης. τὸν ἐξ ἀδᾳδουχήτων γάμων. [1]) Legitimis vero nuptiis Hymenaeus ipse facem affert *„noctem discutiens auspice dextera."* [2])

At cum ex Bacchi sollemnibus faces in nuptias delatas esse arbitremur, quaerendum est, quid sibi velit taedarum usus in Baccho. Inest faci certa aliqua et circumscripta vis, quam si Bacchum fuisse proprie deum fertilitatis meminerimns, sine ullo negotio reperiemus. Habet scilicet fax vim frugiferam, quae res facile perspicitur ex libris praestantissimis a Guilelmo Mannhardtio conscriptis: *Wald- und Feldkulte, T. I. der Baumkultus der Germanen und ihrer Nachbarstämme; T. II antike Wald- und Feldkulte.* Affert vir doctissimus in libris illis sexcenta fere exempla, quibus Syros,[3]) Romanos,[4]) Ger-

[1]) Cf. eundem ad Il. XVI, 178. Euripid. Troad. v. 256; schol. ad Euripid. Alcest. v. 1001. Apollod. III, 2, 1; 4, 3. Σκότιος — παρθένιος Dio Chrysost. or. VII p. 273. Lehrs, Arist. p. 136. — Dolendum sane quod de tempore nuptiarum apud veteres Indos celebrationis nihil certi scimus, cf. Haas l. l. p. 327. Verisimile vero eos quoque nocte imminente uxores duxisse, cum nefas haberetur interdiu castitatem rumpere, cf. Haas p. 403. Coniungebantur certe sponsus sponsaque stantes iuxta ignem accensum; H. Zimmer, altind. Leben p. 311: Der feierliche Akt und die unauflösliche Verbindung fand vor angezündetem Agni statt. Indi qui hodie sunt sponsam facibus deducunt praelucentibus, vid. Gubernatis l. l. pp. 119 et 160. Idem videmus apud Graecos (cf. Guys, voyage littéraire dans la Grèce I p. 228; Pouqueville, voyage dans la Grèce I p. 383; Ukert, Gemälde v. Griechld. pp. 143 et 145. Bybilakis, neugr. Leben p. 34. Wachsmuth, l. l. p. 93.), Italos (Gubernatis l. l. p. 160: far lume — nuptias celebrare. Cf. etiam Basile, Pentamerone II p. 94 fab. XXXVII.), Francogallos (Düringsfeld, Hochzeitsb. p. 258.), Germanos (Weinhold, l. l. I p. 399; Mannhardt, l. l. I p. 565.), Dacos (Sulzer, Gesch. d. transsilv. Daciens II p. 311.), Istrienses (Ausland 1861 p. 873.) multosque alios.

[2]) Senec. Med. v. 68; cf. etiam Bion. Id. I 86. Anth. Pal. VII, 188, 407, 712; Catull. C. LXI 14. Ovid. met. IV 758. Fast. II 561. Epist. ex Pont. XXI 173; VIII 96; Heroid. XI 101; XXI 160. Stat. Theb. II 691. V 71. Anth. Lat. Riese II n. 813, 10.

[3]) II p. 261; vid. (Lucian.) de dea Syria c. 49.

[4]) II p. 309 sq.

manos,[1]) Francogallos,[2]) Britannos,[3]) Suecos[4]) multosque alios e vetere consuetudine taedas tulisse per agros vel in ipsis agris magnum accendisse ignem ob bonum frugum eventum elucet.[5]) Hoc autem fecerunt (ut hodie faciunt) cum igni summam inesse vim procreationis persuasum haberent. Ita enim Mannhardtius I p. 52: *die Flamme übte vermeintlich Einfluss auf Wachstum und Gesundheit der Gewächse, des Viehes, der Menschenkinder; sie thut dies activ vermöge einer ihr innewohnenden zeugenden Kraft.* Eandem fuisse de vi ignis sententiam Graecorum Romanorumque probari potest. Varro enim de l. l. VI 61: *Igitur, inquit, causa nascendi duplex: ignis et aqua — — — et mas ignis, quod ibi semen.*[6]) Spectabant igitur faces [7]) Bacchi principio ad fertilitatem agrorum, quae res etiam facilius intelligitur, si memi-

---

[1]) I cap. VI passim.

[2]) I p. 511: In Poitou zündet man ein mit Stroh umwickeltes Rad an und läuft damit durchs Feld, damit dasselbe fruchtbar werde. In Brest schwingt man Pechfackeln, und oft werfen Hunderte ihre Fackeln zugleich gen Himmel. p. 536: In Frankreich war der Sonntag Invocavit von seinem Fackelumzuge le jour des brandons schon anno 1222 dominica brandonum oder kurzweg brandones benannt, wie sich dafür 1251 in Lothringen der Name burae, dies focorum belegen lässt. Im Jura laufen die Kinder bei einbrechender Nacht mit Strohfackeln über Berge und Felder, indem sie rufen: plus de fruits que de feuilles etc.

[3]) Cf. I p. 512.

[4]) I. p. 512: Omnis enim generis sexusque homines turmatim in publicum concurrunt exstructisque luculentis ignibus atque accensis facibus choreis tripudiisque se exercent. (Olaus Magnus.)

[5]) Cf. Grimm, d. Myth. I p. 588. Mannhardt. I p. 494—498.

[6]) Cf. etiam Lactant. div. inst. I cap. 12; Papias s. v. ignis.... iuxta quosdam ex igne creantur cuncta, cum sine calore nihil nascatur. — Tibull. II 5 v. 89:

Ille levis stipulae sollemnes potus acervos
Accendet flammas transilietque sacras,
Et fetus matrona dabit etc.

— De eodem more Graecorum et Epirotarum cf. Ukert, l. l. p. 158, Hahn, alban. Stud. p. 156 sq.

[7]) Idem ac fax vult fulmen, quo Iupiter filium e matris gremio ad lucem produxit. Tonitrua enim ubertatem segetum afferre credebantur; cf. Mann-

nerimus Bacchum apud Bisaltos Thraces amplissima ignis specie annum uberem fructuosumque praemonuisse. [1]) Ad eandem rem pertinebant etiam *δᾳδοφόρια* illa, quibus Plutarcho [2]) teste Thyiades Bacchum dormientem, largitorem fecunditatis, excitabant. Haec si est vera taedarum in Bacchi cultu significatio, facile explicari potest etiam magna animorum concitatio *(ἔκστασις)*, qua agitabantur sollemnium participes. Simillima enim inveniuntur apud Mannhardtium I p. 534 [3]): *Entweder zog man schon mit flammenden Fackeln auf die Anhöhe, wo das grosse Frühlings- oder Sonnwendfeuer entloht wurde, oder man zündete sie erst oben in demselben an, tanzte tobend und mit ekstatischen Sprüngen rings umher und lief dann talwärts durch die Gesammtheit der zum Anbau dienenden Felder.*

Hae faces, quibus agros fertiles reddi existimabant veteres, deferebantur ex rei natura in tam arta agriculturae coniugiique coniunctione etiam ad hominum matrimonia [4]), quae inprimis liberum quaesendorum causa inita esse supra demonstravimus. Praelucebant igitur nostra opinione novis nuptis faces, ut illa *γνησίων τέκνων σπορὰ* bonum haberet eventum. Ob eandem causam vestis nuptialis velumque croceo vel flammeo erant colore: indicabatur eo ignis procreator. [5])

Satis, ut videtur, de taedarum significatione locuti iam videamus, quo modo deorum nostrorum sollemnia acta sint. Tres

hardt. I p. 484; apud Suecos fulgura nominantur Kornblixt, apud Norvegos Kornmode; vid. etiam Kuhn, Herabk. d. Feuers p. 244 sq.

[1]) (Aristot.) *Θαυμάσια* 122 p. 842 B; cf. Voigt in Roscheri myth. Lex. s. v. Dionys.

[2]) Is. et Os. 35.

[3]) Cf. etiam pp. 500 et 510.

[4]) Simile quid videmus in versibus Gallicis, quos affert Mannhardtius I p. 537. (Cf. etiam I p. 463.)

Brandelons brulez
Par ces vignes, par ces blés!
Brandelons brulez
Pour ces filles à marier. (Mém. d. antiqu. I, 237.)

[5]) Eadem de causa antiquissimae Bacchi statuae rubro colore illitae erant, Pausan. II 2,6; VII 26, 11; VIII 39, 5. Cf. de ea re Voss. ad Tibull. II 1, 55; I. Schubert, zur Polychromie d. ant. Kunst (Jahrb. f. class. Philolog. XX p. 19.) — Phalli quoque, qui in Bacchi honorem circumferebantur, eodem erant colore, vid. p. 28 n. 4. Postea hunc colorem ad Priapum, rubrum hortorum custodem, qui principio idem atque Bacchus erat deus, translatum esse ne-

autem sunt res, de quibus hoc loco potissimum erit agendum: de florum ramorumque usu, de tibiarum cantu, de lascivia obscoenaque cavillatione; quae omnia et in Bacchi sollemnibus et in nuptiis inveniri demonstrabimus.

Flores non minus quam faces necessarii erant Bacchi festis diebus; [1]) erat ille Graecorum opinione auctor et largitor omnis floris incrementique plantarum, quam ob rem in eius honorem agebantur *Ἀνθεστήρια* [2]) mense Anthesterione, [3]) quo terra prima plantarum germina et flores in auras emittit. Ad hanc dei vim spectant epitheta *Ἄνθιος*, [4]) *Ἀνθεύς*, [5]) *Εὐανθής*, [6]) *Φλοιός*, [7]) *Φλεύς*, [8]) *Φλυοῦς*, [9]) *Floreus*. [10]) Bacchum ipsum,

τὸν παρὰ καλλι-
στεφάνοις εὐφροσύναις δαίμονα πρῶτον, [11])

fingebant veteres corona ornatum (*πολυστέφανος*, [12]) *φιλοστέφανος*, [13]) *εὐστέφανος*. [14])) quam primus omnium capiti suo imposuisse ferebatur. [15]) Florida etiam vestis erat [16]) floridumque cingulum; [17]) simili habitu Sa-

---

minem fugit. Cf. Ovid. Fast. I 400. Priap. I 5; XXVI 9; LXXII 2; LXXXII 8.

[1]) Cf. Creuzer, M. u. S. II p. 359. Preller, gr. M. I p. 584. — Erat etiam Apollo *φιλοστέφανος* (A. Pal. IX, 525), sed in cultu eius flores non tanti erant momenti, quanti in Bacchi sollemnibus.

[2]) Harpocr. s. v. E. M. s. v.

[3]) Anecd. Gr. Bachm. I p. 97 *Ἀνθεστηριὼν ὄγδοος μήν ἐστι παρὰ Ἀθηναίοις, ἱερὸς Διονύσου· κεκλῆσθαι δὲ αὐτὸν οὕτω διὰ τὸ τὴν ἄνθην τοῦ βότρυος τούτῳ μάλιστα τῷ μηνὶ γίνεσθαι καὶ διὰ τὸ πλεῖστα τῶν ἐκ γῆς ἀνθεῖν τότε.*

[4]) Pausan. I 31, 4.

[5]) Pausan. VII 21, 2.

[6]) A. Pal. VI 165; de filio Bacchi et Ariadnes Euanthe vid. Braun, gr. Gttl. p. 550.

[7]) Plutarch. symp. V 8, p. 723 Reiske. E. M. s. v.

[8]) Aelian. V. H. III 41.

[9]) Schol. Apoll. Rhod. Arg. I 115.

[10]) Catull. C. LXIV 251.

[11]) Eurip. Bacch. v. 376. Cf. Tibull. I 7, 52.

[12]) Anth. Pal. IX 524, 17.

[13]) Plin. h. n. XVI 4.

[14]) Orph. hymn. LXXIV 2. Nonn. Dion. XXIX 76.

[15]) Plin. h. n. XVI 4: ferruntque primum omnium Liberum patrem capiti imposuisse (coronam) ex hedera.

[16]) Orph. hym. XXX 5. *ἐρνεσίπεπλος*; Strab. XV 688. Diod. Sic. IV 5. *ἐσθῆτες ἀνθειναί*. Cornut. theol. Gr. 30. *τὸ τῆς ἐσθῆτος ἀνθηρόν*; cf. Müller, Etr. IV 1, 6 p. 216.

[17]) Pollux IV 117. *Διόνυσος ἐχρῆτο — — — μασχαλιστῆρι ἀνθινῷ.*

tyri uti credebantur. [1]) A Baccho florum auctore coronarum genera quaedam nominabantur: Sicyonii enim, ut affert Hesychius,[2]) vocabant corollam odoriferam *ἰάκχαν*. Dores Nicandro [3]) teste *βάκχον*.

At si deus ipse talis florum amator habebatur, [4]) facile intelligitur illos in cultu eius fuisse pernecessarios. Erant ornati coronis qui dei *φιλοστεφάνοισιν ἀρέσκοντος ἀνδράσιν*[5]) sacris intererant, [6]) floribusque involuta cista mystica ferebatur. [7])

Eodem autem modo flores adhibebantur veterum nuptiis; est enim *ἀοχλήτου ἀμεριμνίας ὁ στέφανος σύμβολον*. [8]) nullus vero dies festus nuptiis laetior iucundiorque.

Tempora iam lauro vel myrto cingite frontes
Et violis ornate comas, dent alba coronas
Lilia mixta rosis, candor pallorque ruborque
Crinibus insidat, qui vernat in ore puellis,
Floribus ambrosiis sponsalia serta ligantur —

ita Dracontius [9]) nuptias celebraturos hortatur. Erant autem floribus redimiti non solum sponsus sponsaque [10]) et ii, qui nuptiis

---

[1]) Pollux IV 117: *ἡ δὲ σατυρικὴ ἐσθὴς — χλανὶς ἀνθινὴ καὶ φοινικοῦν ἱμάτιον.*

[2]) S. v. *ἰάκχα.*

[3]) Schol. in Aristoph. Equit. v. 408: *Βάκχος. ... ὡς δὲ ἔνιοι στεφάνους ὑπὸ Δωριέων· ἔστι δὲ καὶ στεφάνης εἶδος, ὡς Νίκανδρος ἐν τῷ περὶ τῶν γλωσσῶν ἱστορεῖ· φησὶ γὰρ οὕτως· βάκχοισιν κεφαλὰς περιανθέσιν ἐστέψαντο.* Idem praebent anecd. Gr. Bekker. I p. 224. Cf. Creuzer, S. u. M. II p. 360. Dionys. p. 246.

[4]) Ovid. Fast. V 3; V 345 B a c c h u s a m a t f l o r e s.

[5]) Athen. X p. 447 d.

[6]) Clem. Alex. Paedag. II 73 *οἱ μὲν βακχεύοντες οὐδὲ ἄνευ στεφάνων ὀργιάζουσιν*; cf. etiam Ovid. Trist. V, 3, 3; Tertull. de coron. VII S e d e t a l i a s L i b e r u m p r i n c i p e m c o r o n a e p l a n e l a u r e a e, i n q u a e x I n d i s t r i u m p h a v i t, e t i a m v u l g u s a g n o s c i t, c u m d i e s i n i l l u m s o l l e m n e s m a g n a m a p p e l l a t c o r o n a m.

[7]) Eurip. Ion. v. 1337.

[8]) Clem. Alex. Paed. II 73.

[9]) Ed. Duhn. VI 6.

[10]) Lucian. Herod. 5. Oppian. de venat. I 338. Plutarch. Pomp. 55. Pollux, III 43; Cicero de orat. III 5, 8. Fest. s. v. corolla p. 63. Lucan. II 358. Tertull. d. coron. milit. 13: c o r o n a n t e t n u p t i a e s p o n s o s. Cf. Paschal. de coron. II c. 16; Helbig, Annal. d. Inst. 1866 p. 457 sq.

intererant,[1]) sed etiam limina postes[2]) domusque,[3]) maioribus nuptiis vel ipsae plateae[4]) totaque urbs[5]) sertis ramisque ornabantur. Ipse autem Hymenaeus non minus studiosus coronarum quam Bacchus venit ad nuptias *praecingens roseo tempora vinculo.*[6]) Potuerunt igitur iure sponsalia vocari *σ τ ε φ ά ν ω μ α*,[7]) quod nomen usque ad hunc diem servaverunt Graeci.[8])

Hunc florum maximum usum a Baccho[9]) deo ad nuptias delatum esse facile apparet, si recta est quam proposuimus de natura Bacchi Hymenaeique coniectura.

Venimus iam ad t i b i a s, quae et in Bacchi sollemnibus et in nuptiis canebantur. Atque eas fuisse Bacchi proprium organum[10]) omnes sciunt, qui unquam pompam Bacchicam aut effictam viderint aut descriptam legerint, ut hac de re plura dicere non opus sit. Eadem est res in nuptiali tibiarum usu.[11]) Afferemus duos tantum locos, quibus magna earum in nuptiarum

---

[1]) Plutarch. amat. 26 p. 92. Dracont. l. l.

[2]) Plutarch. amat. 10 p. 27. Stat. silv. I 2, 231.

[3]) Lucian. dial. meretr. II 3; Iuvenal. VI 51, 79, 227. Catull. LXII 293. Ovid. met. IV 760. Lucan. II 354 Apul. met. IV 26 et 81. Claudian. rapt. Proserp. II 320; nupt. Hon. et Mar. v. 208; Fescen. in nupt. H. et M. III 2. epigr. XIV 26. Epith. Pall. et Cel. v. 96. Martian. Cap. d. nupt. init.

[4]) Charito, de Chaer. et Call. lib. I 1.

[5]) Nonn. Dion. V 281.

[6]) Senec. Med. 70; cf. etiam Bion. Id. I 88. Catull. LXI 6. Ovid. Her. VI 43; XXI 161.

[7]) Schol. in Oppian. Cyneg. I 340. *ὑμέναιον· τὴν ᾠδὴν τοῦ στεφανώματος.*

[8]) Cf. Wachsmuth, l. l. p. 88. Fauriel-Müller l. l. II c. XXXIII.

[9]) In ipsius Bacchi Ariadnesque nuptiis sponsa primum coronam tulisse dicebatur. Eratosth. Cataster. 5. *οὗτος* (sc. *στέφανος*) *λέγεται ὁ τῆς Ἀριάδνης· Διόνυσος δὲ αὐτὸν εἰς τὰ ἄστρα ἔθηκεν, ὅτε τοὺς γάμους οἱ θεοὶ ἐν τῇ καλουμένῃ Δίᾳ ἐποίησαν, ᾧ π ρ ώ τ ῳ ἡ ν ύ μ φ η ἐ σ τ ε φ α ν ώ σ α τ ο.*

[10]) Cf. Panofka, arch. Ztg. II 1844 p. 396; Jahn ibid. XIII 1855 p. 151; vid. anecd. Gr. Bachm. I p. 104 *Ἀντιγενίδας· ἐνδοξότατος γέγονεν α ὐ λ η τ ή ς, υἱὸς Δ ι ο ν ύ σο υ.*

[11]) Hom. Il. XVIII 493 *αὐλοὶ βοὴν ἔχον* (vid. Mueller, Dor. I p. 348); Hesiod. scut. Herc. v. 281. Plutarch. symp. IV 666, 53. Dion. Hal. ars rhet. IV p. 248 (Reiske). Pollux IV 73; III 37; IV 75; Lucian. Apol. 5; dial. mer. 11. Aelian. V. H. XII 34. Nonn. Dion. V 285; XVI 287; XXIV 271. Achill. Tat. V 16. Long. Pastor. IV 40; Plaut. Cas. IV 3, 567; Terent.

celebratione vis elucet: Hesych. s. v. ὑμέναιος — τὸ τοῖς γαμοῦσιν ἐπαυλούμενον. (Cornif.) Rhet. ad Her. IV cap. 33 Kayser *Intellectio est, quom res tota parva de parte cognoscitur aut de toto pars. de parte totum sic intelligitur: non illae te nuptiales tibiae eius matrimonii commonebant? nam hic omnis sanctimonia uno signo tibiarum intelligitur.*

Ac nostra opinione usus tibiarum, quas Marsyas invenisse dicebatur, non aliter ac florum a Baccho ad nuptias delatus est. Est autem Hymenaeus tibicen [1]) maxime oppositus Apollini.[2]) Hic enim citharae lyraeque studiosus a tibiarum cantu alienissimus est, quod quidem fabula de Marsyae punitione dilucide demonstrat.

Restat ut pauca de hilaritate et lascivia dicamus, qua agebantur utriusque dei sollemnia. Ac laetitiae quidem plenos fuisse praeter ceteros Bacchi Hymenaeique dies festos non opus est disputare: Bacchus scilicet, deus γηθόσυνος,[3]) τερπνὸς,[4]) πολυγηθὴς,[5]) γελόων,[6]) ἐγερσίγελως,[7]) φιλόγελως,[8]) λυσίφρων,[9]) λυσιπαίγμων,[10]) proprie largitor hilaritatis solutaeque voluptatis erat, ita ut sollemnia eius parem prae se tulisse habitum necesse sit.[11])

Ad. V 7, 6; Ovid. met. IV 761; her. XII 139; Apul. met. IV 26; Isid. etym. III 16, 3. — Vid. Bartolinum de tibiis vet. cap. XII; Boettiger, Aldobr. Hochz. p. 142.

1) Claudian. XXXI 35 sq.; v. 98:
Haec quoque non vilem mihi fistula commodat usum
Responsura choris.

2) Psallit Apollo in nuptiis Pelei et Thetidis (Hom. Il. XXIV 63), Admeti et Alcestidis (Apollod. I 9, 15), Amoris et Psyches (Apul. met. VI 24.) Apud Senecam Oed. v. 498 canit etiam in Bacchi Ariadnesque nuptiis; cf. append. Anacreont. 7. (poet. lyr. Gr. Bergk III):

Κιθάρης ἄναξ Ἀπόλλων
γάμιον μέλος λιγαίνει.

3) Anth. Pal. IX 524.
4) Vid. not. 3.
5) Hesiod. theog. v. 941.
6) Vid. n. 3.
7) A. Pal. XI 60.
8) Choric. apolog. § VI 4. (Revue de Philol. N. S. I p. 209.)
9) Anacr. XLIX 2.
10) Anacr. L 10.
11) Cf. Tibull. III 6, 38.

Nuptiis vero quis dies festus hominibus laetior iucundiorque habetur?

At praeter laetitiam gaudiumque deorum in sollemnibus lasciviae quoque et obscoenitati locus erat datus. Erat enim Bacchus deus procreationis, itaque factum est, ut in hanc rem modo aperte modo paullo tectius iocarentur qui sollemnibus intererant.[1]) Haec autem obscoena iocatio ex rei natura in nuptias translata est; Varro Agath. V (1) Buecheler *pueri obscaenis verbis novae nuptulae aures returant.* [2]) Praeterea indulgebant veteres in Bacchi sollemnibus cavillationi et derisioni, quae quidem exercebatur versiculis illis *ἐξ ἁμαξῶν* iactatis.[3]) His respondent aptissime versus Fescennini [4]) procaces et petulantes in nuptiis cantati, cum nova nupta in sponsi domum deduceretur. [5]) At cum antiquissimis temporibus sponsa apud Graecos curru veheretur, [6]) verisimile est *μέλη ἁρμάτεια* quae dicebantur eandem habuisse vim atque Romanorum Fescenninos Bacchicosque versus *ἐξ ἁμαξῶν.* [7])

---

[1]) Cf. Varronem apud August. d. c. d. VII 21; Arnob. adv. nat. III 33: Liber — foeculentae hilaritatis dator.

[2]) Cf. Fest. s. v. nupta verba. Cyprian. de habit. virg. c. 18: quasdam non pudet nubentibus interesse et in illa lascivientium libertate sermonum conloquia incesta miscere, audire quod non decet, quod non licet dicere, observare et esse praesentes inter verba turpia et temulenta convivia, quibus libidinum fomes accenditur.

[3]) Schol. Aristoph. Equit. v. 547 *Ληναΐτην· ἑορτὴ παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις τὰ Λήναια, ἐν ᾗ μέχρι νῦν ἀγωνίζονται ποιηταὶ συγγράφοντές τινα ᾄσματα τοῦ γελασθῆναι χάριν· ὅπερ ὁ Δημοσθένης* (p. 268, 13) *εἶπεν ἐξ ἁμάξης· ἐπὶ ἁμαξῶν γὰρ οἱ ᾄδοντες καθήμενοι λέγουσί τε καὶ ᾄδουσι τὰ ποιήματα.* — Idem ap. Suid. et Phot.; cf. Preller, gr. M. I p. 554.

[4]) Auson. XXVIII Cent. nupt. p. 140 Schenkl.

[5]) Cf. Ferrarium, de vet. plausu (Graev. thes. VI. p. 191 sq.)

[6]) Hesiod. scut. v. 273; Plutarch. qu. R. 29; Hesych. s. v. *νυμφαγωγός· καλεῖται γὰρ πάροχος τῶν φίλων τις ὁ ἐπὶ τῷ ὀχήματι ἅμα τῇ νύμφῃ καὶ τῷ νυμφίῳ ὀχούμενος οἷον παράνυμφος.* Pollux III 40 *ἐπὶ ζεύγους δὲ τὰς νύμφας ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ μετῄεσαν.* Vid. et schol. ad Aristoph. Av. v. 1735; schol. ad Lucian. Aet. V. Harpocrat. s. v. *πάροχος*; Etym. Magn. et Suid. s. v. *ζεῦγος ἡμιονικόν.*

[7]) Veteres grammatici argumentum *ἁρματείου μέλους* plane ignorabant, cf. Suid. s. v. E. M. s. v. Hesych. s. v. Anec. Gr. Bachm. I p. 144. — Koerber, de Graec. hymenaeis et epithalamiis p. 15. — Hymenaeis ipsis inerat interdum derisio quaedam, quod quidem elucet ex iis, quae affert Deme-

III.

Sunt igitur maximae et gravissimae similitudines inter Bacchum et Hymenaeum, quas casu ortas esse nemo sane contendet! Nec vero iam ab omni parte perfecta est quaestio nostra, cum nondum de miro inter fabulas de Baccho et Hymenaeo traditas consensu dixerimus.

Ac primum quidem non praetermittendum esse videtur, quod in utriusque dei fabulis maximam animadvertimus laetitiam oppositam summae tristitiae. Quae res in Baccho, totius naturae quasi arbitro ac custode, facile explicatur. Sunt scilicet translata in eum symbolice omnia, quae terra patitur. Haec enim vere tamquam e somno letali excitata surgit ad novam vitam, gaudio exsultans innumeris se ornat floribus herbisque; hieme vero appropinquante rursus somno opprimitur: ac decidunt folia ex arboribus, fontes nullum iam strepitum edunt, immota iacent flumina lacusque, tota natura muta et mortua esse videtur. Hominibus autem naturae subita mutatio dolorem quam acerbissimum inurit: vident omnia quae modo laete florebant, perire, laetitiam verti in tristitiam. Hanc rerum vicissitudinem in Bacchum ipsum transferentes Graeci eum hieme fugisse vel subita morte oppressum esse, vere redire gaudio laetitiaque exsultantem credebant.[1] — Simile quid in Hymenaeo invenimus. Nam laetarum deus nuptiarum, ut supra vidimus, in fabulis quibusdam adulescens praematura morte exspirasse dicebatur. Quid autem sibi vult tristitia illa in Hymenaeo, deo summae laetitiae? Nam explicationes illae, quas Welckerus[2]) Prellerusque proposuerunt,

---

trius (de eloc. 167) de Sapphus hymenaeis; cf. etiam Suid. s. v. δᾶς; schol. ad Rhes. v. 895; Hartung, Philol. III p. 238. Bernhardy, gr. Lit. II p. 570.

[1]) In Ariadne quoque artissime cum Baccho coniuncta eandem videmus laetitiae dolorisque vicissitudinem. Cf. Plut. Thes. 20. — Phrygum opinione Bacchus hieme dormiens vere solvebatur somno (Plut. Is. et Os. 69: *Φρύγες δὲ τὸν θεὸν οἰόμενοι χειμῶνος καθεύδειν, θέρους δ' ἐγρηγορέναι, τοτὲ μὲν κατευνασμούς, τοτὲ δ' ἀνεγέρσεις βακχεύοντες αὐτῷ τελοῦσι.*) Habemus autem, etsi ad amussim comparari non possunt, eadem hymenaeorum genera sc. *ὑμέναιον κατακοιμητικὸν* et *διεγερτικὸν* sive *ὄρθριον*; vid. schol. ad Theocr. XVIII 1. Toup. emend. in Suid. p. III. ad v. *ὑμέναιος*.

[2]) Apud Schneidewinum, Rhein. Mus. II p. 118: Hymenaeus stirbt, wie der Hochzeitsgesang verhallt und die Hoch-

nobis prorsus non probantur: videntur sane magis aptae nostris cogitationibus, quam Graecis. Nos quidem haud dubitamus, quin fabulae de praematura Hymenaei morte non aliter ac deus ipse ex Baccho ortae sint ex iis, quibus ille mortuus esse ferebatur. Quid quod ipsas singulas fabulae de Bacchi morte mutationes reperimus in Hymenaeo? Ille enim nondum exacta iuventute aut a Titanis dilaceratur [1]) vel plaga prosternitur [2]) aut subito e conspectu evadit fugiens ad Thetidem vel ad Musas. [3]) Perit igitur deus violenta morte aut recedit ex oculis. [4]) Idem habemus in Hymenaeo: moritur enim ruina thalami [5]) aut subito aufertur. [6]) Dei autem e conspectu remoti eodem desiderio invocabantur, ut redirent. Legimus apud Photium bibl. p. 321 a 17 *ὑμέναιον ἐν γάμοις ᾄδεσθαί φασι κατὰ πόθον καὶ ζήτησιν Ὑμεναίου τοῦ Τερψιχόρης, ὅν φασι γήμαντα ἀφανῆ γενέσθαι.* — His autem cum verbis conferamus quae Plutarchus de Elearum feminarum cantu tradit. Implorabant Bacchum, quem discessisse existimabant, ut rediret:

ἐλθεῖν ἥρω Διόνυσε
Ἅλιον εἰς ναὸν ἁγνὸν
σὺν Χαρίτεσσιν ἐς ναὸν
τῷ βοέῳ ποδὶ θύων. [7])

---

zeit vollzogen ist, gerade so, wie das Jahr in einer Puppe sterben muss, wie der Carneval begraben wird etc. Aliter Prellerus, gr. M. II p. 491: Hymenaeus ist ein Bild des Abschiedes von schöner Jugend und Unschuld und deshalb bei allem Jubel doch ernst.

[1]) Nonn. Dion. VI 204; V 563; VII 360; X 293; XXIV 43; XXVI 311; Euseb. praep. ev. II 5. Clem. Alex. Protr. 18. Clem. Rom. homil. VI 2. Arnob. adv. nat. I 41; V 19. Firm. Mat. d. err. VI 3. Nonn. ad. Greg. Naz. II n. 35 p. 530 c. Cornut. theol. Gr. c. 30; Hygin. fab. CLV et CLXVII.

[2]) Himer. or. IX § 4.

[3]) Hom. Il. VI 135; Apollod. III 5, 3; Plut. Is. et Os. 35; Pausan. VI 26, 1; X 19, 2.

[4]) *Ἀφανισμοὶ Βάκχου*; vid. Clem. Alex. Strom. VI 751.

[5]) Serv. Aen. I 651.

[6]) Phot. bibl. p. 321 a 17.

[7]) Quaest. Gr. 36 cf. etiam Is. et Os. 35. Pausan. VI 26, 1. — Plut. symp. 2, 8 prooem: *παρ' ἡμῖν ἐν τοῖς Ἀγριωνίοις τὸν Διόνυσον αἱ γυναῖ-*

Uterque vero deus mortuus in vitam revocatus esse dicebatur. Atque Bacchum quidem Iupiter vel Thyiades, ver cum denuo appropinquaret, e somno letali excitaverunt,[1]) Hymenaeum autem mortuum ab Aesculapio in vitam revocatum esse Orphici tradiderunt, quam fabulam ortam esse ex Phanete redivivo verisimillimum esse contendimus. At utut res se habet, id sane ex ea colligi potest Orphicos Hymenaeum non cantus nuptialis deum habuisse, sed veram eius, ut Bacchi quoque, originem, scilicet agrestem, cognovisse.

His similitudinibus, quae certe gravissimae sunt, addendum est, quod utrumque deum sexum muliebrem mentitum esse invenimus. Hymenaeum muliebri vestitu virginem a se amatam secutum esse supra vidimus. Bacchum vero Iupiter, ut a Iunonis novercae ira defenderet, per Mercurium ad Ino mittit *καὶ πείθει τρέφειν ὡς κόρην.*[2]) Talem Seneca [3]) eum describit:

Qualis iratam metuens novercam
Creveras falsos imitatus artus,
Crine flaventi simulata virgo,
Luteam vestem retinente zona.

Nonnus [4]) quoque, qui Bacchum ab Hyadum filiis postea a Iunone in Centauros transformatis educatum facit, hac de re loquitur:

πῇ δὲ γυναικείην φορέων ψευδήμονα μορφὴν
μιμηλὴ κροκόπεπλος ἐν εἵμασι φαίνετο κούρη
ἀρτιθαλής· φθονερῆς δὲ παραπλάζων νόον Ἥρης,
χείλεσιν ἀντιτύποισιν ἀνήρυγε θῆλυν ἰωήν,
καὶ πλοκάμοις εὔοδμον ἐπεσφήκωσε καλύπτρην,
θήλεα πέπλα φέρων πολυδαίδαλα· μεσσατίῳ δὲ
στήθεϊ δεσμὸν ἔβαλλε καὶ ὄρθιον ἄντυγα μαζοῦ
παρθενίῳ ζωστῆρι καὶ οἷά περ ἅμμα κορείης,
πορφυρέην λαγόνεσσι συνήρμοσε κυκλάδα μίτρην.

κες ὡς ἀποδεδρακότα ζητοῦσιν· εἶτα παύονται καὶ λέγουσιν, ὅτι πρὸς τὰς Μούσας καταπέφευγε καὶ κέκρυπται παρ᾽ ἐκείναις.

[1]) Plutarch. Is. et Os. 35. Himer. or. IX 4. Cf. Preller, gr. M. I p. 565.

[2]) Apollod. III 4, 3. Apud Anton. Liber. transf. X Bacchus *εἰκασθεὶς κόρῃ* Minyae filias hortatur *μὴ ἐκλείπειν τελετὰς ἢ μυστήρια τοῦ θεοῦ.*

[3]) Oed. v. 419 sq.

[4]) Dion. XIV 159 sq.

Neque solum in prima pueritia Bacchus utebatur muliebri vestitu, sed etiam adultus stolam, quam a Magna Matre accepit, [1]) gerebat. Eadem veste idcirco induti erant sollemnium Bacchi participes, [2]) quae consuetudo tam acriter custodiebatur, ut Demetrius Platonicus apud Ptolemaeum regem ab inimicis posset accusari *ὅτι μόνος τῶν ἄλλων γυναικεῖα οὐκ ἐνεδύσατο ἐν τοῖς Διονυσίοις.* [3])

Ambo autem dei, etsi muliebri utebantur vestitu atque feminea erant pulchritudine, tamen simul p r a e v a l i d i e t f o r t i s s i m i habebantur. Nam Bacchus *ὁ θρασύς*, [4]) *Ἄρεώς τε μοῖραν μεταλαβών τινα*, [5]) giganta caedit fortiter pugnans, [6]) trucibus arma detrahit Amazonibus, [7]) thyrso armatus ferocissimum Alpum *θεημάχον υἱὸν ἀρούρης* interficit, [8]) saevissimum opprimit Agdestim, cuius audaciam ceteri timebant dei, [9]) dux acerrimus cum Maenadum Satyrorumque agminibus per gentes profectus omnes usque ad ultimos Indos suae facit ditionis. [10]) Hymenaeus vero qua erat praeditus vi et virtute totum praedonum globum solus interimit.

---

[1]) Apollodor. III 5, 1 *αὖθις δὲ εἰς Κύβελα τῆς Φρυγίας ἀφικνεῖται· κἀκεῖ καθαρθεὶς ὑπὸ Ῥέας καὶ τὰς τελετὰς ἐκμαθὼν καὶ λαβὼν παρ' ἐκείνης τὴν στολὴν* etc. cf. Braun, gr. Gttl. p. 502; vid. etiam Nonn. Dion. XX 228. Clem. Alex. Protr. 57.

[2]) Photius bibl. p 322 a 14; cf. Hermann, gr. A. § 56, 10. 11.

[3]) Lucian. de calumn. 16.

[4]) Anecd. Gr. Bachm. II p. 233. Cf. A. Plan. IV 183 et 185; A. Pal. XI 63 *πιστὸν ἀταρβήτου θάρσος ἔχων Βρομίου*; de Bacchi virtute vid. Stephani C. R. 1867, pp. 161—188; 1874 pp. 72—75.

[5]) Eurip. Bacch. v. 302. Orph. hymn. XLV 3 *ὃς ξίφεσιν χαίρεις ἠδ' αἵμασι*; hymn. XXX 4 *ἀρήϊος.*

[6]) Eratosth. Catast. II. Apollod. I 6, 2; Schol. Pind. N. I 100; Diod. Sic. III 70; Horat. od. II 19, 21; Hygin. P. A. II 23; quibus addas ectypum illud clarissimum arae Pergamenae.

[7]) Pausan. VII 2. Nonn. Dion. XXVI 330; XL 291. Senec. Oed. v. 479. Tacit. ann. III 61.

[8]) Nonn. Dion. XLV 170 sq.

[9]) Arnob. adv. nat. V 6.

[10]) Ovid. Trist. V 3, 21. Fast. III 719 sq. Lactant. inst. div. I 10. Tertull. de cor. XII.

3.

De natura et origine Hymenaei satis, ut videtur, locuti transimus iam ad eius imagines.

Ac si primum veterum testimonia de imaginibus Hymenaei quaerimus, unus [1]) tantum locus afferendus est: Lucian. Her. V.[2]) Describit Lucianus tabulam Aetionis, in qua nuptiae Alexandri et Roxanes erant pictae: *θάλαμός ἐστι περικαλλὴς καὶ κλίνη νυμφική· καὶ ἡ Ῥωξάνη κάθηται, πάγκαλόν τι χρῆμα παρθένου, εἰς γῆν ὁρῶσα, αἰδουμένη ἑστῶτα τὸν Ἀλέξανδρον. Ἔρωτες δέ τινες μειδιῶντες ὁ μὲν κατόπιν ἐφεστὼς ἀπάγει τῆς κεφαλῆς τὴν καλύπτραν καὶ δείκνυσι τῷ νυμφίῳ τὴν Ῥωξάνην, ὁ δέ τις μάλα δουλικῶς ἀφαιρεῖ τὸ σανδάλιον ἐκ τοῦ ποδός, ὡς κατακλίνοιτο ἤδη. ἄλλος τῆς χλανίδος τοῦ Ἀλεξάνδρου ἐπειλημμένος. Ἔρως καὶ οὗτος, ἕλκει αὐτὸν πρὸς τὴν Ῥωξάνην πάνυ βιαίως ἐπισπώμενος. ὁ βασιλεὺς δὲ αὐτὸς μὲν στέφανόν τινα ὀρέγει τῇ παιδί, πάροχος δὲ καὶ νυμφαγωγὸς Ἡφαιστίων συμπάρεστι δᾷδα καιομένην ἔχων, μειρακίῳ πάνυ ὡραίῳ ἐπερειδόμενος. Ὑμέναιος[3]) οἶμαί ἐστιν. οὐ γὰρ ἐπε-*

[1]) Cum Bergkio (gr. Ltgesch. I p. 350.) ex versibus Catulli C. LXI 27 sq. Hymenaeum in specu Heliconis statuam habuisse suspicato facere non possumus. Nostra opinione versus laudati:

> Quare age huc aditum ferens
> Perge linquere Thespiae
> Rupis Aonios specus,
> Nympha quos super inrigat
> Frigerans Aganippe

spectant unice ad personam Hymenaei Musae Apollinisque filii. Vid. H. N. Ulrichs, Reisen u. Forschungen in Griechenland II p. 90 not. 31: Catull lässt den Hymen als Sohn der Muse Urania im Musenhain wohnen. Was aber die von ihm und anderen Dichtern angeführten Grotten betrifft, so existieren sie daselbst nicht.....Diese Grotten sind Zugabe der Dichter.

[2]) Metricam paraphrasin loci versus Manuelis Philae praebent (Cramer anecd. Gr. Paris. I p. 45.)

> *καὶ νυμφαγωγῶν συμπαρῆν*
> *......... Ἡφαιστίων,*
> *ὃς ἀπερεισθεὶς εἰς τὸ μειρακύλλιον,*
> *τὸ φαιδρόν, ὦ βέλτιστε, καὶ βρύον τόδε,*
> *πρὸς γὰρ τὸν ὑμέναιον ἡ τέχνη βλέπει* etc.

[3]) Blümner, arch. Stud. z. Luc. p. 45 not. Lucianum conicit in tabula describenda errasse, ita ut iuvenis facem gerens non esset Hephaestio, sed Hymenaeus, *μειράκιον* vero, quo ille nititur, Somnus. At reicienda est sine

γέγραπτο τοὔνομα. ἑτέρωθι δὲ τῆς εἰκόνος ἄλλοι Ἔρωτες παίζουσιν etc.

Comperimus igitur id tantum ex Luciani loco, quod Aetio Hymenaeum adulescentem pulcherrimum pinxit; de dei nuptialis insignibus, quibus ab aliis diis discerneretur, nihil audimus. At licet accurata testimonia desint, possumus tamen ex fabulis poetarumque descriptionibus cognoscere, quo modo Hymenaeum veteres artifices finxerint.

Atque in fabulis quidem fingitur deus adulescens pulcherrimus, vocatur *περικαλλὴς νεανίας,*[1] *παῖς περίβλεπτος τὴν ὄψιν,*[2] *iuvenis,*[3] *adulescens,*[4] *puer speciosus.*[5] Eodem modo describitur a poetis; Claudian. epith. Pall. et. Cel. v. 39 sq.

Restitit, ut vidit Venerem, digitisque remissis
Ad terram tacite defluxit fistula lapsu.
Dulce micant oculi,[6] *niveas infecerat igni*
Solque pudorque genas; dubiam lanuginis umbram
Caesaries intonsa tegit.

Apud Nonnum[7] quoque invenimus Hymenaeum *κοῦρον* certantem Ganymede iudice cum Cupidine:

εὗρε δέ μιν χρυσέοιο περὶ ῥίον ἄκρον Ὀλύμπου
νεκταρέας ῥαθάμιγγας ἀκοντίζοντα κυπέλλοις.

---

dubio haec coniectura, quam auctor ne uno quidem argumento potuit firmare. Exspectaremus in Somno deo res quasdam naturam eius significantes, quas Lucianum non conspexisse aut conspectas non annotasse minime est verisimile. Accedit quod Hephaestio, quo nemo erat Alexandro amicior, optimus certe nuptiarum erat testis. — Brunn (gr. K. II p. 247. cf. Blümn. l. l. p. 45) in hac Aetionis pictura primum spectari personas poeticas mythicasque cum rebus vere gestis commixtas monuit. Videmus autem idem multo ante in pugna Marathonia picta a Panaeno et Micone. (Pausan. I 15, 3; cf. Purgold, arch. Bemkg. z. Claud. u. Sid. Ap. p. 46 sq.) — Luciani illam descriptionem vivam facere optimo cum eventu studuit Ioannes Antonius Bazzi dictus Sodoma vel meliore quam Raphael aliique pictores aetatis renascentis; cf. R. Foerster, Farnesina Stud. p. 103 sq.

[1]) Eustath. Hom. Il. XVIII 493.

[2]) Anton. Lib. transf. XXIII.

[3]) Serv. ad Verg. Aen. I 651.

[4]) Serv. ad Verg. Aen. IV 99.

[5]) Serv. ad Verg. ecl. VIII 30.

[6]) Hunc versum imitatus est Sidonius Apollinaris, Burg. Pont. Leont. v. 33: Dulce natant oculi (sc. Bacchi).

[7]) Dionys. XXXIII 64 sq.

πὰρ δέ οἱ ἵστατο κοῦρος ὁμέστιος, ἁβρὸς ἀθύρων
εὐχαίτης Ὑμέναιος. . . .
. . . . . καὶ ἱμερόεις Γανυμήδης,
οἰνοχόος Κρονίδαο, δικασπόλος ἦεν ἀγῶνος.

En circulus adulescentium, quo venustius suaviusque nihil potest cogitari!

Insignia autem Hymenaei apud veteres poetas invenimus taedam et coronam legitimarum nuptiarum:

Et tu qui facibus legitimis ades
Noctem discutiens auspice dextera,
Huc incede gradu marcidus ebrio
Praecingens rosea tempora floribus! [1])

Quibus rebus praemissis iam videamus ipsas dei nostri imagines! Omnium Hymenaei imaginum facile prima est pictura [2]) Pompeis in domo quae dicitur Meleagri reperta mense Ianuario anni MDCCCXXX. Cf. Bullet. d. I. 1830 p. 120: *I portici del giardino esistente nella casa di Meleagro continuano ad offrirci de' quadri interessanti. . . . . un bel giovane in piedi con una face ed una corona di fiori fra le mani.*

Ac primum quidem adulescentem Bacchum esse putabant; Bullet. d. I. 1831 p. 24: *Bacco con lunga teda in una mano e con un serto nell' altra.* — Nostra vero aetate omnes viri docti uno ore consentiunt adulescentem esse Hymenaeum.

Pictus est deus nuptialis adulescens gracilis, summa praeditus pulchritudine. Sinistro brachio in ara nititur; [3]) caput, de quo longi cincinni in umeros defluunt, ornatum est corona foliorum alborumque florum; [4]) vultus prodit laetitiam [5]) et castitatem; [6]) vestis subcaerulea operit lacertos et tergum; dextera manu deus gerit coronam lemnisco vinctam, sinistra longam facem. Humi iacet malum cydonium vel nux.

---

[1]) Senec. Med. v. 67 sq.

[2]) Vid. Mus. Borbon. XII tv. 17. Panofka, Bld. ant. Leb. tf. XI 5 p. 20. Müller-Wies. Dkm. II 55 n. 707; cf. Ann. d. I. 1866 p. 457; Helbig, Wdgm. Camp. n. 855.

[3]) Cf. Ovid. Her. XXI 157
Ter mihi iam veniens positas Hymenaeus ad aras.

[4]) Ovid. Her. XXI 161 coronati capilli.

[5]) Claudian. IX 21 felix.

[6]) Mart. Cap. de nupt. init. decens.

Hanc figuram vere esse Hymenaeum nemo profecto negabit; omnia enim, quae sunt, dei insignia, hic spectantur: forma iuvenilis pulcherrima, fax, corona et ea, quam ipse fert in capite, et ea, quam sponsae daturus est. Ad nuptias pertinent etiam malum cydonium vel nux humi iacens. Vetusto enim more nova nupta, cum in thalamum deduceretur, malum cydonium gustare debebat.[1]) Nuces autem nuptiis veterum effuse adhibitas esse supra (p. 24) demonstravimus.

Cum hac nobilissima pictura coniungimus duo anaglypha deum nuptialem alia sub forma exhibentia. Sunt ea sarcophagorum marmoreorum, quorum alter *(A)* asservatur in cavaedio Belvederi,[2]) alter *(B)* Montecellis[3]) repertus antea collectionis Campanae ornamentum nunc est Petropoli.

Duo anaglypha inter se sunt simillima: in ambobus spectatur „*sacrificium nuptiale adstante pompa.*“ Videmus, quae res nobis gravissima est, Venerem, Hymenaeum, Cupidinem una stantes. In *A* effictus est Hymenaeus adulescens alatus eadem qua Venus magnitudine; ac gestat manibus, quae nunc sane deletae sunt, magnam facem, cuius fragmenta facile cognoscuntur; amictus est chlamyde, quae in dorsum deiecta anteriorem corporis partem oculis inspicientium aperit. Videmus igitur Hymenaeum, qualem fabulae poetaeque descripserunt, nisi quod est alatus. Apud veteres poetas nulla alarum fit mentio, nam de epithalamio a Barthio edito quae censemus supra (p. 5) diximus. Ac Gerhardius[4]) quidem cum Welckero[5]) alas e Cupidine in illum delatas esse existimavit, quibus quin adstipulemur facere non possumus, quamquam etiam de Baccho alato audimus.[6]) Tenendum enim est artifi·

---

[1]) Plutarch. praecept. coni. 138, 13 *ὁ Σόλων ἐκέλευε τὴν νύμφην τῷ νυμφίῳ συγκατακλίνεσθαι μῆλον κυδωνίου κατατραγοῦσαν* ... cf. etiam qu. R. LXV; Helbig, Ann. d. I. 1866 p. 464.

[2]) Vid. Gerhard, ant. Bldw. I tf. 74 p. 313; Beschr. d. St. R. II 2 p. 131, Rossb. Untrs. p. 383. — Dkm. p. 105 sq.

[3]) Vid. Monum. ined. IV. 1845 tb. 9; Brunn, Ann. d. I. 1844 p. 186 sq.; Rossb. Untrs. p. 382. — Dkm. p. 108. — Ut Guédéonoffii librum, Sculpture antique de l' Erémitage Imperiale inspiceremus, nobis non contigit.

[4]) Acad. Abh. I p. 171.

[5]) Anhg. z. K. Schwenck's etym.-myth. And. p. 201.

[6]) Bacchus Psilax vel Psilas, Pausan. V 19, 6; cf. Braun, Kunstvstllg.

ces deum nuptialem eo demum tempore finxisse, quo iam diu illa inter Bacchum Hymenaeumque necessitudo oblivione erat obruta. Fingebant igitur deum cantus nuptiarum, Apollinis Musaeque filium, Cupidini propinquum et finitimum, ita ut ex rei natura res quaedam a Cupidine sumptae in illum deferrentur.

In *B* anaglypho Hymenaeus longe aliam praebet speciem: est enim deus adulescens sine pinnis,[1] veste involutus, longam facem manibus gestans. Ea quae Rossbachius de statura eius dicit *„eine fast vierschrötige, alles Idealismus baare Gestalt“* paullo fortius dicta sunt, si fides habenda est Brunnio. Ac Rossbachii opinione Hymenaei illius facies refert imaginem Romani cuiusdam adulescentis, quae res si vere ita se habet, imaginem pueri patrimi et matrimi ante oculos habemus. Notanda est praeterea ea res, quod caput dei nostri velo est opertum. Comparat Rossbachius aptissime, ut nobis videtur, flammeum, quo nupta caput velare solebat, et laudat versum Catulli: *flammeum cape.*

Simili habitu etsi non tanta praeditus venustate quanta in pictura Pompeiana Hymenaeus est in anaglypho sarcophagi Musei Pio-Clementini:[2]) venit pompa sacrificantium a sinistra, in parte contraria dextrarum fit iunctio, in medio stat adversus deus adulescens nudus bene comatus, permagnis praeditus alis, quarum sinistra aliquanto est maior quam dextera, in mani-

---

d. geflüg. Dion.; Welcker, Rh. M. VI p. 592 sq. Müller Hdb. § 383. Michaelis, anc. marbl. in Great Brit., Broadlands n. 25.

[1]) Non probanda quae contendit Brunnius scribens l. l. p. 193: e poi da notare siccome eccezione di veder l'Imeneo senz' ali, che in tutti gli altri rilievi nuziali non gli mancano mai, sia che si rappresenti secondo il mito come giovane adulto, sia come putto rassomigliante all' Amore etc. Spectatur enim Hymenaeus adulescens sine alis et in anaglyphis, quae Medeae in Glaucen furorem praebent, et in eo, quo effictae sunt Pelei et Thetidis nuptiae. Cupidinem vero sine alis, quem Brunnius Hymenaeum esse voluit, haec ostendunt anaglypha: 1) a. sarcophagi, qui est in aedibus sacris Sancti Laurentii extra muros Romae. 2) a. s. in villa Taverna Tusculana. 3) a. s. quondam in villa Medicea Romae, nunc in Ufficiis Florentiae. His de anaglyphis vide quae infra dicentur.

[2]) Vid. Guattani, mon. ant. 1785. Agosto tb. II p. LXI; Pistolesi, Vat. descr. V p. 181; Boettiger, aldobr. Hchzt. p. 149; Beschr. d. St. R. II 2 p. 220; Zoega, Bassir. I p. 255; Rossb. Dkm. p. 94.

bus longam fert facem. Ad statum Hymenaei Rossbachius comparat versus Statii silv. I 2, 237 sq.

Iam dudum poste reclinis
Quaerit Hymen thalamis intactum dicere carmen.

Eius enim opinione his verbis status ille dei quem videmus tam accurate est descriptus, ut non dubitet, quin Statius versus illos ex tali anaglypho composuerit. Nobis vero, etsi similitudines quasdam inter anaglyphum et Statii epithalamium esse minime negamus,[1]) versus laudati ad statum huius Hymenaei illustrandum non ita bene quadrare videntur. Habet enim deus non exspectantis habitum, sed est potius persona mere symbolica, non particeps actionis, quod status adversus ipse ostendit; in verbis autem Statii „*quaerit Hymen*“ profecto cogitandum est de persona mediis in rebus versante.

Longe alia in conditione cernitur deus noster in sarcophagi anaglypho, cuius imago nobis conservata est in codice Pighiano Berolinensi fol. 317.[2]) Effícti sunt Admetus et Alcestis manus iungentes, legitimi signum matrimonii. Hoc vero coniugium infaustum fore artifex duplici modo indicavit, ut recte perspexit Petersen. Admetus enim sponsae non dextram manum, sed sinistram porrigit, Hymenaeus autem nuptiarum testis, adulescens veste usque ad genua descendente indutus, facem in terram demittens et abituro similis effictus est. Hic adulescens quin sit Hymenaeus dubium esse non potest.

Alia res est in adulescente illo, quem videmus in anaglyphis Medeae in Glaucen furorem exhibentibus, cum de eo magna orta sit virorum doctorum dissensio. [3])

Anaglypha, quae huc pertinent, sunt:

---

[1]) Cf. Herzog, Stat. epith. p. 26; Purgold, arch. Bem. z. Claud. u. Sidon. Apoll. p. 78; Brunn, Ann. d. I. 1844 p. 194; Iahn, Ber. d. k. sächs. Ges. d. W. ph.-hist. Cl. 1854 p. 171.

[2]) Vid. E. Petersen, arch. Ztg. XXI (1863) p. 116 sq., tf. CLXXIX n. 2.

[3]) Cf. Bartoli, adm. tb. 55. Zoega, bassir. I p. 257. Millin, G. M. 108 (426); Gerhard, ant. Bldw. p. 257 not. 49. Clarac, Mus. de sculpt. II p. 541. Visconti, Mus. Pio-Clem. III p. 59. not. e; Labus, Mus. Mant. p. 30; Feuerbach, vatican. Apollo p. 383; Iahn, Teleph. u. Troil. p. 13 not. 6. — Tod d. Sophonisbe p. 8. — Jason u. Medea a. Sarcophagrel. Arch. Ztg. XXIV, p. 233 sq.; Dilthey, Ann. d. I. XLI, p. 1 sq.: sarcofaghi di Medea; Matz u. Duhn, ant. Bldw. z. Rom. nn. 3161, 3162, 3163; Dütschke, Ant. Bldw. IV p. 310 n. 688; Rossbach, Dkm. p. 175.

1) Sarcophagi in *„cortile del ministerio del commercio“* Romae (vid. Dilthey, Ann. d. I. 1869, tav. d'agg. A. B. 1.)

2) S. *„della stamperia camerale“* Romae, ante in Laterano (vid. Dilth. l. l. tav. d'agg. A. B. 2; pictum est hoc anaglyphum etiam in codice Pighiano Berolinensi, vid. Arch. Ztg. 1866 tf. 261, 1.)

3) S. in museo Pio-Clementino (vid. Pistolesi, Vat. descr. VI 2. Visconti, Mus. P.-Cl. VII 16. Dilth. l. l. tav. d'agg. C. cf. Beschr. d. St. R. II 2 p. 236.)

4) S. in museo Mantuano (vid. Mus. della reale accad. di Mant. 1790 tav. a. p. 58; Labus, Mus. Mant. I tav. 9 p. 21 sq.; III p. 368 sq.; Millin, G. M. 108, 426; Dütschke, Ant. Bldw. IV p. 310 n. 688; cf. Carli, sopra un ant. bassoril. Mant. 1785.)

5) S. ante in villa Borghesiana (Zoega, bassir. I p. 215), nunc in museo Louveri Parisiis (vid. Bartoli adm. tb. 55; Montfaucon, Ant. expl. I pl. 40; Perrier, segm. 17; Bouillon III rel. 18; Clarac, mus. de sculpt. 204, 478; Millin, tomb. de Canose p. 45.)

6) Fragmentum anaglyphi ante in domo Martelli Florentiae, cuius nunc sedes ignoratur, (vid. Gori, inscr. Etr. III 13.)

Omnia haec anaglypha, si summam videmus, simillima, in singulis paullo diversa sunt. Spectantur in sinistra eorum parte hae personae: sedet Glauce prospiciens in Medeae Iasonisque filios munera nuptialia apportantes; iuxta eius sellam stat ancilla monens, ante thalami fores Iason. Praeterea videmus inter Iasonem et Glaucen vel ancillam superque filios Medeae figuram adulescentis sedentis aut stantis (vid. anagl. 3.); facies eius tristissima est, oculi in terram demissi, capilli longi corona ornati, vestis de umero dextero delapsa; ac tenet ille manu sinistra papaveris capita, dextera parvam facem, quae quidem res aliis in anaglyphis facile plane possunt cognosci, in aliis paullo sunt detritae et minus clarae.

Hic adulescens quisnam sit, magna est inter viros doctos sententiarum discrepantia: quas omnes hoc loco uberius tractare supervacaneum habentes singulas breviter afferemus.

Bartoli anaglyphum nuptias Proserpinae luctumque Cereris ostendere ratus adulescentem nominavit M e r c u r i u m s o m n i f e r u m,

Winckelmannus et Carli: genium Medeae,

Boettigerus: paedagogum liberorum,

Zoega: genium veneficii (probavit hanc explicationem Lessingius, de mort. ap. vet. fig. p. 50),

Millin et Clarac: Hymenaeum,

Visconti, Gerhardius, Labus, Rochette: genium mortis,

Feuerbachius, Iahnius, Diltheyus, Rossbachius, Matz-Duhn, Dütschkius: Hymenaeum in genium mortis transformatum.

Videmus igitur omissis Bartolii, Winckelmanni, Boettigeri Zoegaeque interpretationibus, quae plane improbandae sunt, tres esse explicationes, ex quibus nobis una sit eligenda, nisi novam proferre placet. Nostra aetate viri docti Feuerbachium secuti adulescentem vocaverunt Hymenaeum, quem mortis signis, scilicet face inversa et papaveribus, mortis genium factum esse voluerunt. Hanc opinionem uberius tractavit Diltheyus (Annal. d. I. l. l.), ubi causas attulit nonnullas, quibus fieri potuerit, ut deus nuptialis in genium funebrem commutaretur.

At nostra sententia erraverunt, qui Hymenaeum mortis genium unquam fuisse existimaverint. Diltheyus inprimis dedit operam, ut quam arte fuissent coniunctae apud veteres mors nuptiaeque, demonstraret; propter hanc rerum necessitudinem Hymenaeum genium mortis factum esse censet.

Age videamus artam illam nuptiarum mortisque coniunctionem, quam Diltheyi aliorumque opinione per totum veterum litterarum cursum cognoscere licet.[1] — Id quidem minime negamus nuptias et mortem saepissime a veteribus esse inter se oppositas: nuptiarum laetitia contraria est mortis funerisque tristitiae. Ea autem res, quod nuptias potissimum videmus oppositas morti, non exempli gratia diem natalem aliosve dies festos, facile potest explicari: ut enim omittamus nuptias omnium laetissimum esse festum, id tantum monemus plerosque locos, quibus illa nuptiarum mortisque oppositio occurrat, ad feminas spectare. At feminarum secundum veterum sententiam summum et unicum fere munus erat coniugium; si moriebantur, antequam matrimonium inissent liberosque peperissent, inutilem et infelicem vitam degisse credebantur.

---

[1]) Cf. Rossb. Dkm. p. 179 sq.

Ita factum est, ut si virgo praematura morte rapta esset, poetae fortunam eius versibus persecuti mortem nuptiasque opponerent; cf. epigr. Gr. Kaibel n. 127:

Μουσῶν προφῆτιν εὔκολόν τ' ἐνὶ φρεσίν
κάλλει τ' ἀκμαίαν πεντεκαιδεκάτῳ μ' ἔτει
δαίμων ὁ πικρὸς τῷδε θῆκεν ἐν τάφῳ·
στήλη δ' ὁρῶν μου τοὔνομ' ἐγγεγραμμένον
κλαῦσόν με, παροδεῖθ', ὅτι θάλαμον οὐκ εἰςέβην.
λείπω δὲ δάκρυα καὶ γόους τροφοῖσί μου·
μοιρῶν γὰρ ἄνισος τοῦτ' ἐπέκλωσεν μίτος.

n. 463:

Φιλοστράτα βέβηκα πηγὰς εἰς ἐμάς
λείπουσα δεσμόν, ᾧ φύσις συνεῖχέ με·
ἐπὶ τοῖσ[ι] δέκα γὰρ τέσσαρ' ἐκπλήσασ' ἔτη
πέμπτῳ τὸ σῶμα καταλέλοιπα παρθένος,
ἄπαις, ἄνυμφος, ἤϊθεος· ὅτῳ δ' ἔρως
ζωῆς ἔνεστιν, ἀφθόνως γηρασκέτω. [1])

Si autem quaerimus, quomodo nuptiae et mors inter se opponantur, tres potissimum invenimus formas: 1) lectus genialis opponitur sepulcro, hymenaeus threno[2]), 2) Hymenaeus Plutoni [3]), 3) Pluto ipse quasi sponsus deducit sponsam. [4])

Secundum oppositionis genus videtur maxime interpretes commovisse, Hymenaeum ut dicerent genium mortis, quod

---

[1]) Cf. etiam epigr. Gr. Kaibel nn. 6, 208 b[1] et b[2], 521, 564; Sapph. frg. 119 Bergk.; Anth. Pal. VII 547 et VII 604.

[2]) Haec oppositio occurrit copiosissime apud Achillem Tatium de Clit. et Leuc. am. I 13: *τάφος μέν σοι, τέκνον, ὁ θάλαμος· γάμος δ' ὁ θάνατος· θρῆνος δ' ὁ ὑμέναιος· ὁ δὲ κωκυτὸς οὗτος τῶν γάμων ᾠδαί.* Cf. etiam Anth. Pal. VII 183 et 186; VIII 122. Welcker, syllog. epigr. n. 50; Achill. Tat. III 10. Xenoph. Ephes. III 7. Choric. monod. init. ed. Boissonade; epigr. Gr. Kaibel nn. 365, 381, 413; Auson. Par. n. 18 Schenkl.

[3]) Cf. Anth. Pal. VII 188, 367, 492, 547, 568; IX 245.

[4]) Anth. Pal. VII 13, epigramma Leonidae Tarentini:

παρθενικὰν νεαοιδὸν ἐν ὑμνοπόλοισι μέλισσαν
Ἠρίνναν Μουσῶν ἄνθεα δρεπτομέναν
Ἀίδας εἰς ὑμέναιον ἀνάρπασεν·

Cf. etiam ep. Gr. Kaibel nn. 468 et 655; Anth. Pal. VII 186:

δακρυόεις Ἀίδη, τί πόσιν νύμφης διέλυσας,
αὐτὸς ἐφ' ἁρπαγίμοις τερπόμενος λέχεσι;

Vid. Foerster, Raub d. Perseph. p. 73.

quo iure fecerint videbimus, si epigrammata quaedam eius generis inspexerimus. Anth. Pal. VII 188

— ἀλλὰ τεοῖς θαλάμοισι γαμοστόλος οὐχ Ὑμέναιος
οὐδ' Ἥρης ζυγίης λαμπάδες ἠντίασαν.
πένθιμος ἀλλ' Ἀΐδης ἐπεκώμασεν, ἀμφὶ δ' Ἐρινὺς
φοίνιος ἐκ στομάτων μόρσιμον ἦκεν ὄπα.

Anth. Pal. VII 547

— — — κατέστενε δ' οὐχ Ὑμεναίῳ,
ἀλλ' Ἀΐδᾳ νύμφαν δωδεκέτιν κατάγων.

Anth. Pal. VII 492

— — οὐδ' Ὑμέναιον
νυμφίον ἀλλ' Ἀΐδην κηδεμόν' εὑρόμεθα.

Anth. Pal. IX 245

δυσμοίρων θαλάμων ἐπὶ παστάσιν οὐχ Ὑμέναιος,
ἀλλ' Ἀΐδης ἔστη πικρογάμου Πετάλης.

Ubique igitur Hymenaeus Plutoni opponitur, non ille sponsam ad inferos deducit, sed ipse umbrarum dominus virginem rapit. Quaenam ergo causa inveniri potest, cur Hymenaeum genium putemus inferorum? Nulla sane probabilis!

At cum in anaglyphis nostris habeamus nuptias infaustas, iam quaerendum est, quo modo Hymenaeus, haec si erat rerum conditio, egerit. Cuius rei facilis et prompta est diiudicatio: videamus Ovidium, Heroid. VI 45

Ac mihi nec Iuno, nec Hymen, sed tristis Erinnys
Praetulit infaustas sanguinolenta faces.

Heroid. XIV 27

Vulgus Hymen Hymenaee vocant: fugit ille vocantes,
Ipsa Iovis coniunx cessit ab urbe sua.

Metam. VI 428

Non pronuba Iuno,
Non Hymenaeus adest, non illi Gratia lecto:
Eumenides stravere torum etc.

Fast. II 561

Conde tuas Hymenaee faces et ab ignibus atris
Aufer: habent alias maesta sepulcra faces. [1])

---

[1]) Cf. etiam Metam. IX 762 sq. Her. XXI 163 sq.; Propert. V 3, 16; Stat. Theb. V 71 sq.

Fugit igitur Hymenaeus tristitiam mortemque neque infaustis nuptiis facem suam affert.

Iam conferamus ea quae reperimus ad anaglypha nostra. Voluit artifex signo quodam exprimere nuptias Iasonis Glaucesque tristissimum habituras esse exitum — quo modo hoc optime potuit effingi? Leges poetices et artis figuratricis si essent eaedem, Hymenaeum certe omnino non finxisset artifex; hoc vero si fecisset, nihil expressisset. Hymenaeus ergo fingendus erat in anaglypho, at quonam habitu? Duae erant, quantum videmus, viae, quas inire potuit artifex, ut ea quae sibi proposuerat exprimeret. Potuit enim Hymenaeum fingere abiturum cum face inversa, qualem vidimus supra in anaglypho Admeti Alcestidisque nuptias exhibente. Cur non talem eum finxerit, in medio relinquimus; obstabat fortasse spatium tot personis impletum, quod fugientem deum non iam patiebatur. Altera via erat illa, quam ingressus est artifex: effinxit Hymenaeum maesto vultu oculisque in terram demissis, insignia gerentem manifesta mortis malorumque, facem inversam capitaque papaveris. [1]) En deus nuptialis, qualis describitur ab Ovidio in nuptiis Orphei Eurydicesque, Metam. X 4 sq.

Affuit ille quidem, sed nec sollemnia verba
Nec laetos vultus nec felix attulit omen.
Fax quoque, quam tenuit, lacrimoso stridula fumo
Usque fuit nullosque invenit motibus ignes.

Est igitur Hymenaeus ille, quamquam gerit mortis oblivionisque insignia, nihil nisi deus nuptiarum, non „*genio letale*“ sive „*funebre.*“

Iam videamus ultimum, quod quidem nos existimemus, anaglyphum, quo certe Hymenaeus spectetur effictus; est sarcophagi villae Albanae nuptias exhibentis Pelei et Thetidos. [2])

A dextera incipientes videmus sponsum sponsamque sedentes,

---

[1]) Papaver coniunctum cum face inversa tantum ad inferos spectare potest (cf. Gerhard. arch. Ztg. 1862, XX p. 217 sq.), non ad fertilitatem, quod quidem Clarac et Mayer (Herm. XX 1885 p. 117 not. 1.) voluerunt.

[2]) Vid. Montfaucon Ant. Expl. suppl. Tom. V pl. LI p. 126; Winckelmann, mon. ined. n. 111; Zoega, Bassir. ant. I tav. LII p. 253; Millin, G. M. 152, 551; Guigniant, rel. de l'ant. pl. 214 n. 763; Overbeck, Bldw. d. theb. u. troisch. Hldkr. n. 48 p. 201. tb. VIII n. 8; Müller-Wies., Dkm. II tb. 75 n. 961; Beschr. d. St. R. III 2 p. 488 sq. Helbig, arch. Ztg. XXIV, 1866 p. 262.

quibus Vulcanus et Minerva et quattuor Horae dona nuptialia afferunt. Sequuntur puer vestitus facem quasi ludo intentus terram versus tenens et adulescens coronatus, Asiatica veste indutus, sinistra facem, dextera hydriam ferens; post eum Cupido, quod nos cognoscamus, deam loco movere studet.

Winckelmannus primus hic nuptias Pelei et Thetidis effictas esse vidit quattuorque feminas Horas, puerum Hesperum, adulescentem Hymenaeum vocavit, quam summi viri interpretationem solam esse rectam nobis persuasum est. Pertinet ad nos hoc in anaglypho adulescens ille coronatus facem hydriamque tenens, quem nos quoque Hymenaeum esse censemus. At alii alias de eo protulerunt opiniones: Zoega enim illum appellavit Pelei servum, Millin et Panofka [1]) Comum: quas duas interpretationes iam Wieseler iure refutavit, qui ipse, cum veste Asiatica, qua amictus est adulescens, offenderetur, novam proposuit. Ac putavit ille quidem nuptias Cadmi Harmoniaeque anaglypho effictas, adulescentem autem esse servum vel amicum Cadmi, qui veste sua peregrinam domini originem demonstret. At si tale quid artifex exprimere voluit, potius Cadmum ipsum ita vestitum finxisset; eius enim aetate iam diu esse desierant illae artis leges, quibus Polygnotus [2]) quondam Memnonem non aliter indicavit regem Aethiopum nisi servum Aethiopem iuxta eum ponendo.

Nostra opinione nihil obstat explicationi a Winckelmanno propositae: videmus in adulescente illo legitimarum nuptiarum insignia, coronam et facem, quibus addita est hydria non minus quam illae spectans ad legitima matrimonia. Petebatur enim ante ipsas nuptias per lutrophorum comitesque sollemni pompa ex fonte puro aqua, qua lavarentur sponsus sponsaque, [3]) unde

---

[1]) Idem alio loco (Rech. sur les noms vérit. etc. p. 8) adulescentem vocavit *λουτροφόρον*; sed hanc quoque explicationem esse reiciendam recte viderunt Wittius et Overbeckius; sunt enim praeter sponsum sponsamque personae in anaglypho effictae omnes divinae, ut minime verisimile sit in pompa deorum hominem esse repraesentatum.

[2]) Pausan. X 31, 7: *παρὰ δὲ τῷ Μέμνονι καὶ παῖς Αἰθίοψ πεποίηται γυμνός, ὅτι ὁ Μέμνων βασιλεὺς ἦν τοῦ Αἰθιόπων γένους.* Vid. etiam vas pictum Amasidis apud Gerhardium A. Vas. III 207 et vas Orestem Argis advenientem exhibens. (Rochette, M. I. pl. 34 p. 159sq.) Cf. Foerster, d. Physiogn. d. Grch. p. 17.

[3]) Cf. p. 14 not. 1; E. Curtius, üb. griech. Quell- u. Brunnen-

facta est hydria nuptiarum symbolum; talem *λουτροφόρον* Athenienses [1]) in sepulcris virginum et adulescentium praematura morte defunctorum ponere solebant, scilicet ut illi nuptiis, quas vivi non essent assecuti, post mortem saltem symbolice fruerentur. — Omnia igitur bene quadrant ad deum nuptialem; vestis autem Asiatica fortasse ea re potest explicari, quod fabulae quaedam Hymenaeum patrem Tantali Ascalique id est Asiaticum ferebant.

Atque hae sunt omnes, quod nos quidem sciamus, imagines, quibus Hymenaeum esse effictum pro certo possit affirmari. Iam afferemus imagines quasdam, in quibus deum nuptialem agnoscendum esse nostra opinione non satis constet.

Huc referimus statuam [2]) aeneam Sardibus repertam, quam Wittius in Bullet. d. I. 1832 p. 170 hunc in modum describit:

inschriften p. 16; Monum. ined. X, 1874. tb. XXXIV 1. Schreiber, Ann. d. I. XLVIII p. 333 sq. Herzog, arch. Ztg. 1882, p. 140 sq. — Hunc quoque morem spectasse ad matrimoniorum fecunditatem elucet ex iis quae affert scholiasta ad Eurip. Phoen. v. 347 *εἰώθασι γὰρ οἱ παλαιοὶ ἀπολούεσθαι ἐπὶ τοῖς ἐγχωρίοις ποταμοῖς καὶ περιῤῥαίνεσθαι λαμβάνοντες ὕδωρ τῶν ποταμῶν καὶ πηγῶν συμβολικῶς παιδοποιΐαν εὐχόμενοι, ἐπεὶ ζωοποιὸν τὸ ὕδωρ καὶ γόνιμον.* — Servaverunt morem Graeci quam religiosissime usque ad hunc diem cf. C. Wachsmuth l. l. p. 87. Guys I p. 226. Ukert p. 141. De mira consuetudine, quam etiam apud alios populos videmus, narrat Wachsmuth p. 100: An der Quelle angekommen, muss sie (sc. sponsa) diese feierlich begrüssen und in hohler Hand aus ihr trinken; dann wirft sie einige Geldstücke, auch verschiedene Esswaaren in dieselbe hinein. Hierauf folgt ein von Gesang begleiteter Rundtanz um die Quelle, und schliesslich schöpft ein Jüngling, dessen beide Eltern noch leben (*παῖς ἀμφιθαλής*, puer patrimus et matrimus), mit einem besonders dazu bestimmten Gefässe aus dieser Wasser und trägt es ohne ein Wort zu sprechen nach dem Hause des jungen Paares zurück, es ist so das besonders heilige und heilsame *ἀμίλητο νερό.* Mit ihm gleichzeitig kehrt die ganze ausgezogene Gesellschaft wieder nach Hause zurück. Dort angekommen nehmen beide jungen Eheleute den Mund voll dieses unbesprochenen Wassers und suchen sich innerhalb der Thür des Hauses damit zu bespritzen. — Parem Epirotarum consuetudinem tradit Hahn, alban. Stud. p. 147. De Dacis cf. Sulzer, Gesch. d. transsilv. Dac. II pp. 303 et 312.

[1]) Pollux III 43; Hesych. s. v. *λουτροφόρος* et *λιβύας*; Eustath. ad Il. XXIII 141; cf. Dilthey, de epigrammatis nonnullis Graec. p. 8. (Ind. schol. Gotting. 1882); Furtwängler, Samml. Sabouroff, tb. LVIII et LIX; E. Curtius in Westerm. Monatsh. XXVIII, 1884 p. 682.

[2]) Cf. Müller, Hdb. p. 628.

le Génie ailé, bronze du cabinet de M. Antoine Hérry à Auvers, tenait originairement un flambeau dans la main droite. C'est par un accident que cet attribut ainsi que le bras gauche de cette charmante figure ont été perdus. Déjà la couronne de roses qui orne son cou nous avait autorisé (cf. Bullet. 1830 p. 193) *à y reconnaître l'Hymenée, tel qu'un tableau de la galérie napolitaine décrite par Philostrate le représente. Le flambeau que nous indiquons maintenant comme second attribut de notre adolescent et que portait aussi le Comus ou Hymenée de Philostrate, ajoute une nouvelle preuve en faveur de cette dénomination.*

Dolendum sane, quod haec statua nondum est in lucem edita; possumus hac de causa non certum de ea ferre iudicium: forma iuvenilis, rosarum ornatus, fax bene conveniunt Hymenaeo, neque abhorret, quod in Lydia reperta est statua, cum in illa regione deum nostrum insigni floruisse cultu et fabula supra allata et quem modo vidimus Hymenaeus Asiatica indutus veste satis demonstrent.

Potest igitur sane Hymenaei esse statua. At de alia re hoc loco uberius dicendum est: contendit enim Wittius statuam illam deum nuptialem nobis praebere talem, qualem Philostratus iunior descripserit imag. I 2. Loquitur autem Philostratus loco laudato de Como daemone, ita ut Wittium vel Comum et Hymenaeum eosdem fuisse deos vel illam Philostrati descriptionem spectare ad Hymenaeum existimasse eluceat. Posteriorem opinionem Wittius non primus tulit, sed iam ante eum fuerunt, qui Philostratum illa in tabula describenda aberrasse a pictoris mente censerent. Iam Heynius (opusc. acad. V, p. 28) dubitat, an fuerit fortasse Comus ille Hymenaeus; hanc suspicionem suscepit Lenzius in Matthiae miscell. II p. 64, qui in tabula illa Hymenaeum fuisse repraesentatum existimavit „*non κῶμον, sed κομμὸν agentem, quippe qui in propylaeis thalami mortem cuiusdam νυμφίου ὀλβίου Adonidis fortasse lugeat.*“ [1])

At iure nobis Welckerus has coniecturas reppulisse Comumque suo loco restituisse videtur. Tota enim Philostrati descriptio tam aperte spectat ad Comum, ut iure miremur tales coniecturas

---

[1]) Cf. Welcker, animadv. in Phil. imag. p. 207.

potuisse oriri. Locus ita se habet: *ὁ δαίμων ὁ Κῶμος, παρ' οὗ τὸ κωμάζειν τοῖς ἀνθρώποις, ἐφέστηκεν ἐν θαλάμου θύραις χρυσαῖς, οἶμαι, βραδεῖα δὲ ἡ κατάληψις αὐτῶν ὑπὸ τοῦ ὡς ἐν νυκτὶ εἶναι· γέγραπται δὲ ἡ νὺξ οὐκ ἀπὸ τοῦ σώματος, ἀλλ' ὑπὸ τοῦ καιροῦ. δηλοῖ δὲ τὰ προπύλαια νυμφίους μάλα ὀλβίους ἐν εὐνῇ κεῖσθαι. καὶ ὁ Κῶμος ἥκει νέος παρὰ νέους, ἁπαλὸς καὶ οὔπω ἔφηβος. ἐρυθρὸς ὑπὸ οἴνου καὶ καθεύδων ὀρθὸς ὑπὸ τοῦ μεθύειν· καθεύδει δὲ τὸ μὲν πρόσωπον ἐπὶ στέρνα ῥίψας καὶ τῆς δειρῆς ἐκφαίνων οὐδέν, τὴν δὲ ἀριστερὰν προβολίῳ* [1]) *ἐπέχων, εἰλῆφθαι δὲ ἡ χεὶρ δοκοῦσα λύεται καὶ ἀμελεῖ, τὸ εἰωθὸς ἐν ἀρχῇ τοῦ καθεύδειν, ὅταν σαίνοντος ἡμᾶς τοῦ ὕπνου μετέρχηται ὁ λογισμὸς ἐς λήθην ὧν συνέχει, ὅθεν καὶ τὸ ἐν τῇ δεξιᾷ λαμπάδιον ἔοικε διαφεύγειν τὴν χεῖρα, καταραθυμοῦντος αὐτὴν τοῦ ὕπνου. δεδιὼς δὲ ὁ Κῶμος προσβάλλων τὸ πῦρ τῷ σκέλει περιφέρει τὴν μὲν κνήμην τὴν ἀριστερὰν ἐπὶ τὰ δεξιά, τὸ δὲ λαμπάδιον ἐπὶ τὰ ἀριστερά, ἵν' ἐκκλίνοι τὸν ἀτμὸν τοῦ πυρὸς ἐκκειμένῳ τῷ γόνατι ἀφιστὰς τὴν χεῖρα. πρόσωπα δὲ ὀφείλεται μὲν παρὰ τῶν ζωγράφων τοῖς ἐν ὥρᾳ καὶ τυφλώττουσίγε ἄνευ τούτων αἱ γραφαί, τῷ δὲ Κώμῳ σμικρὰ δεῖ τοῦ προσώπου νενευκότι καὶ ἕλκοντι τὴν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς σκιάν. κελεύει δὲ οἶμαι, μὴ ἀπαρακαλύπτως κωμάζειν τοὺς ἐν ἡλικίᾳ τούτου. τὰ δὲ λοιπὰ τοῦ σώματος διηκρίβωται πάντα, περιλάμποντος αὐτὰ τοῦ λαμπαδίου καὶ ἐς φῶς ἄγοντος· ὁ στέφανος δὲ τῶν ῥόδων ἐπαινείσθω μέν, ἀλλὰ μὴ ἀπὸ τοῦ εἴδους — ξανθοῖς γὰρ καὶ κυανοῖς εἰ τύχοι χρώμασιν ἀπομιμεῖσθαι τὰς τῶν ἀνθέων εἰκόνας οὐ μέγας ὁ ἆθλος — ἀλλὰ ἐπαινεῖν χρὴ τὸ χαῦνον τοῦ στεφάνου καὶ ἁπαλόν· ἐπαινῶ καὶ τὸ ἔνδροσον τῶν ῥόδων καὶ φημὶ γεγράφθαι αὐτὰ μετὰ τῆς ὀσμῆς· τί λοιπὸν τοῦ Κώμου;* etc. Iam sequitur descriptio ipsius celebrantium turbae et instrumentorum, quibus veteres talibus in pompis utebantur.

---

[1]) In hoc vocabulo mendum latere elucet, quid enim sibi vult hasta in Comi manibus? Proxime ad veritatem Welckerus nobis accessisse videtur, qui quidem *προβόλιον* ignotum esse vestimenti vel genus vel nomen putavit. Tamen haec vocis vis ostendi non potest. Nos aliam proponimus viam: scribimus *περιβολαίῳ* mutatione sane minima, si compendia simillima respicimus. Haec vox optime ad sensum totius loci quadrat. Cf. Anecd. Gr. Bachm. I p. 336: *πέπλον· περιβόλαιον· ἱμάτιον γυναικεῖον.* Utebantur veteres in *κώμοις* muliebri vestitu, ut Welckerus l. l. demonstravit.

Ac videmus primo aspectu, quae quidem res viros doctos ad illam opinionem commoverint: l o c u s, in quo Comus moratur *(ἐν θαλάμου θύραις — δηλοῖ δὲ τὰ προπύλαια νυμφίους μάλα ὀλβίους ἐν εὐνῇ κεῖσθαι)*. a e t a s f o r m a q u e *(νέος, ἁπαλὸς καὶ οὔπω ἔφηβος)*. f a x, c o r o n a, quae omnia perbene Hymenaeo convenirent. Tamen dubitari non potest, quin Comus sit, quem descripsit Philostratus. Nam ut eam rem, quod **κώμου** instrumenta et **κώμου** ipsius descriptio minime ad Hymenaeum quadrant, omittamus, hoc unum plane sufficit f a c i s c o l l o c a t i o n e m d e i q u e l a s s i t u d i n e m, res in Como gravissimas sane, cum deo nuptiali nullo modo posse coniungi. Hymenaeum scilicet intellexerunt veteres vividum, alacrem, laetum, carmen nuptiale tinnula voce cantantem taedamque legitimam manibus quassantem. Nescimus quidem causam, quae illos viros doctos compulerit, ut Philostrato talem errorem imputarent, nisi fuit quod hoc de Como apud unum Philostratum audimus.[1])

De ceteris imaginibus, in quibus an vere sit Hymenaeus effictus dubitari potest, brevius licet dicere.

Clarac, mus. de sculpt. IV pl. 650. *B* n. 1504 *B.*, affert s t a t u a m P h i g a l i a e r e p e r t a m i n m u s e o B r i t a n n i c o asservatam, de qua hunc in modum loquitur: *cette statue — — pourrait être un Amour ou un Hymen.* Effictus est adulescens, cuius facies pulcherrima habet aliquid maestitiae; promissi capilli corona ornati sunt; brachia et crura non iam exstant. Nos priorem Claracii explicationem praeferimus, nam vultus ille maestus et quasi in cogitatione defixus non convenit Hymenaeo laeto nuptiarum cantori, spectatur autem in celeberrimis Cupidinis statuis musei Vaticani [2]) et Borbonici. [3])

Hoc loco dicendum est etiam de p a v i m e n t o q u o d a m m u s i v o colore candido nigro, quod ante i n v i l l a d o m i n i L a u r e n t i i C o r s i n i e x t r a p o r t a m St. P a n c r a t i i i n V i a A u r e l i a, nunc ignotae sedis est.[4]) Videmus in illo Plutonem in curru Proserpinam ad inferos rapientem; iuxta currum effecta est figura iuvenilis, cuius se-

---

[1]) Vid. et Philostr. imag. I 24 Ἄνδριοι.

[2]) Bouillon, mus. I pl. 15.

[3]) Mus. Borbon. VI tb. 25.

[4]) Delineavit hoc opus Bartoli, gli ant. sepolcri n. 17; vid. Montfaucon, A. E. V pl. XIII; Gronov. thes. antiq. Gr. vol. XII tb. 17.

xus cognosci non potest, superiore corporis parte super equos eminens; ac tenet manu dextera pateram, laeva Proserpinae tangit caput; luteus vestimenti pannulus circum coxas volutus ante equos vento fluitat. At cum plerique interpretes illi figurae omnino nomen non dederint,[1]) Garucci[2]) eam vocaverit Cyanen, quod nomen certe esse refutandum Foersterus[3]) demonstravit, hic ipse Hymenaeum quamquam dubitans nominavit. Nostra opinione recte fecerunt ii, qui eam certo nomine carere voluerunt; nam cum ne sexus[4]) quidem accurate possit dispici, omnis appellatio incerta manebit.

Denique craterem Neapolitanum collectionis Rogersianae,[5]) in quo Neptunus et Amphitrite ducti ab Hymenaeo et duabus nymphis spectari dicuntur, commemorare debemus. Cum vero hodierna illius sedes ignoretur neque nos quicquam de eo comperire potuerimus, num recte vocatus sit Hymenaeus, diiudicare nequimus.

Habemus igitur, si omnia quae diximus complectimur, duodecim certas Hymenaei imagines, quattuor, de quibus nonnihil liceat dubitare. Omnes autem reliqui ab artificiorum interpretibus nostra opinione falso sunt nominati Hymenaei, partim quod tali appellationi obstat pusilla figurae statura, partim quia scaenae effictae omnino non ad nuptias spectant. His de imaginibus iam paullo uberius dicendum est.

Hymenaeum a veteribus adulescentem esse effictum et fabulae poetarumque descriptiones supra allatae et certae dei imagines dilucide demonstrant. Quae igitur causa excogitari potest, cur artifices deum, quem fabulae communisque omnium opinio adulescentem fingerent, puerum parvum formarent? At interpretes[6]) de duplici dei nuptialis forma, scilicet de iuvenili et de puerili, loquuntur. Brunnius, Annal. d. I. 1844 p. 193 — *sia che si rappresenti* (Imeneo) *secondo il mito come giovane adulto, sia come putto rassomigliante all' Amore, dal quale si distingue per la*

---

[1]) Zoega ap. Welcker Ztschr. p. 71, Welcker ibid.

[2]) Les mystères du syncrét. Phryg. p. 21.

[3]) Raub der Persephone p. 227 sq.

[4]) Overbeck, gr. Kunstmyth. III p. 657 appellat figuram Venerem.

[5]) Arch. Ztg. 1856 p. 250* n. 399.

[6]) Cf. Rossbach. Dkm. p. 15.

sola face. — Haec autem de puerili Hymenaei forma sententia nulla alia re nititur nisi quod talis puer facem gerens in nonnullis Romanis sarcophagis iuxta sponsum sponsamque effictus spectatur. At, quaerimus, quaenam causa obstat, cur illum puerum appellemus Cupidinem? Nonne hic[1]) quoque optime quadrat ad scaenam nuptialem? Nonne per eum significatur amor sponsi sponsaeque? Matrimonium initum nonne satis apparet ex dextrarum iunctione, sacrificio aliisque rebus? — Ea autem res quod fax, quam puer tenet, Hymenaeum significare dicitur, nihil valet, cum Cupidini non minus saepe quam deo nuptiali taeda, amoris flammae signum, attributa sit. Quo modo vere veteres artifices duos deos distinxerint, apparet ex anaglyphis, quae asservantur in cavaedio Belvederi et Petropoli: Hymenaeus effictus est adulescens procerus, Cupido puer minutus vix coxam illius contingens. Propter tantam corporum dissimilitudinem recte nobis facere videmur, si deos diverso nomine appellamus: adulescens Hymenaeus, puer *Ἔρως δᾳδοῦχος* est.

Quae cum ita sint, ex Hymenaeorum numero nobis omnes eximendi videntur, qui staturae brevitate Cupidines se esse satis ostendunt. Huc referimus Hymenaeos, qui dicti sunt, his in sarcophagis:

1) S. in aede sacra St. Laurentii extra muros Romae. (Vid. Bartoli, adm. n. 58. (non 68, ut Boettigerus, A. H. p. 145 et Rossbachius afferunt); Bartholin. de tibiis vet. p. 233; Montfaucon, A. E. III 2 pl. 130, 1; Beger, contempl. gemm. quarund. dactyl. Gorlaei p. 28; Ficoroni, le vestigià e rarità di Roma p. 115; Bottari, pitt. e scult. sacre II p. 117; Lumisden, Rem. on the antiq. of Rome, App. III p. 430. Raoul-Rochette, Mon. inéd. pl. 72 A, p. 400; cf. Rossbach, Dkm. p. 47. Unters. p. 378; Matz-Duhn, ant. Bldw. n. 3090.)

2) S. quem dicunt Narcissi in Vaticano (Mus. Pio-Clement. VII pl. XIII p. 72; cf. Wieseler, Narciss. p. 32; Rossb. Dkm. p. 13.)

3) S. in Vaticano nondum vulgato (cf. Guattani, notiz. per l'anno 1785 Agosto tav. 2; Zoega ap. Piranesi,

---

[1]) Senec. Oed. v. 500. Concutit taedas geminus Cupido.

bassiril. ant. di Roma I distr. IX p. 255; Rossbach, Untrs. p. 388.)

4) S. in domo Verospiorum Romae nondum vulgato. (Cf. Zoega, A. 529; Rossb. Dkm. p. 169; Matz-Duhn n. 3100.)

5) S in villa Pamfili Romae nondum vulgato. (Cf. Zoega A. 285, 25; Matz-Duhn, n. 3107.)

6) S. ante in villa Medicea Romae, nunc in Ufficiis Florentiae (Bartoli, adm. n. 82; Montf. A. E. III 2 pl. 133, 1; Winckelmann, Mon. ined. IV tav. 184; Guattani, mon. ined. ovvero notiz. sulle ant. e bell. art. di Roma 1784, Giugno Tav. II p. 52; cf. Rossbach, Untrs. p. 286. Dkm. p. 120; Dütschke, ant. Bldw. III p. 24 n. 62.)

7) S. in Cortile domus Riccardiorum Florentiae nondum vulgato. (Rossb. Dkm. p. 170; Dütschke II p. 54 n. 105.)

8) S. in Campo Sancto Pisae (Lasinio, Raccolta tav. 101; Rossb. Dkm. p. 167; Dütschke I p. 29 n. 41.)

9) S. in Campo Sancto Pisae (Lasinio, Raccolt. tav. 89 (78); Rossb. Dkm. p. 17; Dütschke I p. 115 n. 150.)

10) S. in academia Vergiliana scientiarum et ingenuarum artium Mantuae (Labus, Mus. III tav. 53 p. 301; Rossb. Dkm. p. 156; Dütschke IV p. 283 n. 643.)

11) S. in museo publico Neapoli sub numero 6603, nondum vulgato. (Brunn, Ann. d. I. 1844 p. 193; Rossbach, Dkm. p. VII. Herzog, Stat. epithal. p. 45 sq.)

12) S. in villa Taverna Tusculana (vid. Rossbach, Dkm. tab. I p. 139. De duobus fragmentis sarcophagi eiusdem speciei in villa Wolkonsky cf. Matz, philol. Anz. IV p. 159.)

13) S. in hortis regiae villae ad Podium Caianum (Gori, inscript. antiq. III tab. XXXIV; Rossb. Dkm. p. 148; Foerster, arch. Ztg. XXXII p. 102; Dütschke II p. 177 n. 401.

14) S. in museo Britannico (Brit. marbl. X plate L.)

His anaglyphis adiungimus alia quaedam artis opera, in quibus non Hymenaeum, sed Cupidinem effictum esse ipsa figurae brevitas docet:

15) Vas pictum Apulum apud Panofkam, Bild. ant.

Leb. tab. I, 1 p. 19; pictus est Cupido sponsum sponsamque ad thalamum ducens. Panofka iniuria eum Hymenaeum vocavit.

16) Gemmam ex achate bicolori in bibliotheca nationali Parisiis; (vid. Buonarotti, osservaz. istor. sopra alc. medaglioni ant. p. 430; Millin, G. M. 245, 66; Müller-Wies. Dkm. II 36 n. 423.) Vehuntur in ea Bacchus et Ariadne curru, duo Cupidines eadem corporum forma comitantur, quorum alterum sine causa Hymenaeum appellaverunt Buonarotti et Wieselerus.

17) Vas celeberrimum ex sardonyche Petropolitanum, in quo praeter Psychen Cupidinesque papiliones diversum in modum vexantes Venus et Diana cum Apolline effictae sunt. Unus Cupidinum minime a ceteris forma distinctus ab interpretibus Hymenaeus dictus est. (Cf. Koehler, descr. d'un vase de Sard. Pétersbourg 1800. (gesamm. Schr. IV p. 77 sq. tab. II.); Caylus, Rec. d' ant. II pl. 86; Iahn, Ber. d. kön. sächs. Ges. d. Wiss. 1851. p. 159 sq.; Stephani, bull. hist. phil. de 'Acad. des sc. XIII 1855 p. 149; C. R. 1877 p. 104. Müller-Wies. Dkm. II 53 n. 668.)

18) Gemmam Florentinam, in qua Ariadne curru a duabus Psychis ducto vehitur; duorum Cupidinum comitum alter in gremio sedet Ariadnes, alter Psychas incitat, quem Gorius nominavit Hymenaeum. (Gori, mus. Flor. I 1 p. 164; Zannoni, real. gal. di Fir. V tav. 18; Müller-Wies. Dkm. II 55 n. 693; Gerhard, arch. Ztg. 1848 p. 358 sq.; Stephani C. R. 1863 p. 227 not. 1. 1877, p. 189.)

Altera causa, cur Hymenaeum in nonnullis operibus spectari negemus, ea est, quod scaenae ipsae repraesentatae omnino non ad nuptias spectant. Hymenaeus enim nuptiarum tantum deus est, non coniugii[1]) neque amoris illiciti, ita ut minime sit verisimile illum in imaginibus aut ad vitam coniugalem aut ad amores vetitos spectantibus esse repraе-

---

[1]) Hymenaeus, ut deus coniugalis primum apud viros doctos recentioris aevi occurrit. Vid. anthol. Lat. Meyer II n. 1576 poema Ioviani Pontani de Miella quadam adultera a coniuge caesa v. 9.

intestata diu nec crimina passus
Hymen immundas excit in ossa sues.

Cf. etiam anthol. Lat. Meyer II n. 1547.

sentatum. Non iure igitur nostra opinione dicti sunt Hymenaei his in operibus:

1) In sarcophago in glyptotheca Monacensi asservato. (Sickler u. Reinhart, Alman. a. Rom II taf. 8; Müller-Wies. Dkm. II taf. 36 n. 432; Schorn, Beschr. d. Glyptothek, n. 101, p. 90; Brunn, Catalog d. Glypt. n. 100; Müller, Hdb. p. 628.) Efficta est pompa Bacchi: ipse deus a comitibus cinctus vehitur cum femina seminuda in curru a duobus Centauris ducto; alio in curru a pantheris ducto sedet femina, cuius vestis capiti inducta anteriorem corporis partem paene usque ad genua nudam relinquit; adstat in utroque curru genius alatus facem gestans. — Interpretes hoc anaglypho pompam nuptialem Bacchi Ariadnesque effictam esse rati genium alatum, qui iuxta velatam feminam est, Hymenaeum vocaverunt. Nostra opinione pompa illa minime ad nuptias spectat. Nam si vere pompa nuptialis est, exspectamus sane Bacchum in eodem quo sponsa curru; esset igitur femina, quae cum illo vehitur, Ariadne. Sponsam autem honesta profecto et decora veste indutam non seminudam, pudicam non voluptate solutam videre consuevimus. At, respondent interpretes, haec femina non est Ariadne, sed illa, quae altero vehitur curru paullulum velata. Elucet quot quantasque secum ferat difficultates haec explicatio! Bacchus sponsus non cum nova nupta vehitur, sed sponsus quam familiarissime alia cum femina accubat, quam vocavere Venerem, Iunonem, Nysam, Leucotheam. Qua de re recte nobis facere videmur, si hanc explicationem omnino relinquimus et Bacchum Ariadnenque existimamus effictos non sponsos, sed coniuges omnis curae expertes circumvagantes cum comitibus et Semele[1]) matre velo matronali distincta. Ac fit haec expeditio nocte, cum Bacchi sollemnia fere noctu agantur; hanc ob rem genii alati cum facibus in curribus positi sunt. Est igitur nostra opinione puer ille feminae adstans non Hymenaeus, sed genius Bacchicus. Eadem res est

2) In anaglypho Vaticano simillimo eandem Bacchi pompam exhibente. (Millin, G. M. 65, 244; Mus. Pio-Clem. IV pl. XXIV p. 194; Pistolesi, Vatic. descr. IV tav. 112;

---

[1]) Etiam Brunnius hanc feminam Semelen esse voluit, sed ut pronubae nympheutriae munere fungentem.

cf. Zoegam in Welck. Ztsch. f. Gesch. u. Auslgg. d. Kunst p. 389; Beschr. d. St. R. II 2 p. 128. sq.)

3) In anaglypho musei Pio-Clementini, quo efficti sunt Pluto et Proserpina coniuges in sella una sedentes. [1]) Adstant femina obvoluta veste et puer alatus facem tenens, quem Müllerus vocavit Hymenaeum, Millin „le Sommeil éternel", Visconti recte, ut nobis videtur, Cupidinem.

4) In anaglypho olim Borghesiano Lunam, quae Endymionem obit exhibente. (Gerhard, ant. Bldw. tab. 38 p. 282; nunc asservatur anaglyphum in villa Pacca Romae, Matz-Duhn II n. 2714.) Ante deam modo advenientem stat adulescens pulcherrimus chlamyde indutus;[2]) manus nunc deletae facem gestaverunt, cuius fragmenta facile cognoscuntur. Recte Braun hunc adulescentem Hesperum vocavit, cum de Hymenaeo tali in scaena omnino cogitari non possit.

5) In anaglypho olim villae Albanae,[3]) quo spectatur adulterium Martis Venerisque effictum. (Winckelmann, mon. ined. tab. XXVII p. 34; Millin, G. M. 38, 168; cf. Rossb. Dkm. p. 15; Müller, Hdb. p. 628; Hirt, Bldb. I p. 53). Stant in media scaena duo Cupidines, quorum alter maior, alter minor; illum Winckelmannus genium amoris illiciti, hunc Hymenaeum dixit. Cum vero hoc loco de adulterio agatur, [4]) falsa sane illa explicatio est; sunt potius ambo Cupidines vocandi.

6) In operibus, quae Venerem Helenam cohortantem et Cupidinem cum Paride loquentem praebent. Habemus quattuor huius generis artificia inter se simillima:

a) anaglyphum in museo nationali Neapoli, sala dei rilievi n. 106. (mus. Borbon. III 40; Winckelmann, mon. ined. 115; Millin, G. M. 173, 540; Overbeck,

[1]) Mus. Pio-Clem. II pl. 1 p. 29; Millin, G. M. 17, 342; Müller-Wies. Dkm. II 68 n. 859; Beschr. d. St. R. II 2 p. 122.

[2]) Idem adulescens spectatur etiam in anaglypho villae Pamfili-Doria Lunae cum face praevolans; Braun, ant. Marmorwke. I tb. VIII p. 10; cf. Zoega A. 531, 3; Beschr. d. St. R. III 3 p. 629; Iahn, arch. Beitr. p. 59; Matz-Duhn n. 2717.

[3]) Iam Winckelmannus sedem anaglyphi ignoravit. Cf. Matz, Philol. Anzgr. 1872 p. 155.

[4]) Prior anaglyphi pars, in qua Vulcanus et Venus Iunone pronuba dextras iungentes spectantur, manifeste a posteriore separata est. Cf. Lenormant et de Witte, Elite céram. I p. 108.

Bldw. XIII n. 2: cf. Gerhard-Panofka, Neapels ant. Bldw. I n. 210; Friederichs, Baust. I n. 679; Müller, Hdb. p. 628; Foerster, arch. Ztg. XXXII 1875 p. 87 n. 34; Heydemann, Ber. üb. d. Verhandl. d. k. sächs. Ges. d. Wiss. XXX, 1878 Phil. hist. Cl. Abt. II p. 129.

b) anaglyphum in collectione Marbury Hall (Michaelis, anc. marbl. n. 36; Orlandi, le nozze di Paride ed Elena, Roma 1775; Tischbein, Homer. Pl. V 2; Millin, G. M. 159, 541; Winckelmann, mon. ined. 127; Spec. of anc. sculpt. II pl. 16; Müller-Wies. Dkm. II 27 n. 295; Iahn, Ber. d. kön. sächs. Ges. d. W. 1850 p. 184 sq.; Stephani, C. R. 1861 p. 122; Michaelis, Arch. Ztg. 1874 p. 47; Foerster l. l.)

c) opus e terra cocta in Vaticano ex hortis Asinii Pollionis. (Guattani, notiz. per l'anno 1785 Giugno T. 1; Foerster l. l.)

d) vas marmoreum in Esquilino monte repertum, in museo Capitolino asservatum. (Ersilia Caetani Lovatelli, le nozze di Elena, Roma 1880; Ferrero in rivista di filol. IX 1880 p. 147; Heydemann l. l.)

Müller, Hdb. § 392, 1 Cupidinem his in operibus effictum inter Hymenaeos referendum esse existimavit, sed quin erraverit, non est dubium. Ea enim res, quod Cupido hic adulescens repraesentatus est, facile explicatur, cum antiquum [1]) horum artificiorum archetypum, in quo talis dei figura usitata erat, ponere debeamus. Accedit quod in anaglypho Neapolitano adscripta sunt singularum personarum nomina, inter quae legitur ***ΕΡΩΣ***. Respondet autem Veneri iuxta Helenam sedenti optime filius carissimus; Hymenaeus contra nunquam versatur in adulterio, quale illic paratum videmus.

Afferimus denique pauca artificia, in quibus Hymenaeum repraesentatum essse diversis de causis negamus:

1) Clarac mus. de sculpt. IV pl. 650 B. n. 1504 A statuam exhibet Oxoniensem,[2]) quam vocat *Hymen ou génie funèbre;* est sine dubio genius funebris.

---

[1]) Conze, Her. u. Goett. p. 27.

[2]) Chandler, marm. Oxon. 15; Michaelis anc. marbl. of Great Brit.



2) Sine ulla causa Müllerus Cupidinem calceamenta alligantem in cratere [1]) Agrigenti reperto, qui ante in collectione aedis St. Martini prope Panormum, nunc Panormi est, Hymenaeum vocavit; Gerhardius et Furtwänglerus[2]) recte eum Cupidinem dixerunt.

3) In amphora collectionis Durand,[3]) nunc in museo Britannico[4]) asservata, femina sive Libera sive Ariadne curru vehitur deducta a Mercurio et Apolline. Ante currum incedit puer, quem Wittius Hymenaeum, Gerhardius et Hawkins Iacchum appellaverunt; nostra opinione de deo nuptiali omnino cogitari non potest.

4) Falso utique Hymenaei nomine usus est Panofka, Arch. Ztg. VI p. 72, in explicatione picturae Pompeianae sacrificium Iphigeniae exhibentis.[5]) Sedet in hac pictura Achilles (secundum Panofkam) vel Agamemno (secundum Helbigium aliosque) maestitia oppressus ante aedificium quoddam templo simillimum, in cuius fastigio ornamenti loco figura adulescentis alati et chlaena induti collocata est. Hunc Panofka vocavit Talasium, est autem, id quod satis demonstrat locus, merum ornamentum, neque ulla exstat causa, cur certum nomen anquiramus.

5) Pictura Pompeiana [6]) reperta in casa quae dicitur Lucretii adulescentem cum meretrice nocturno e convivio puero facem praeferente domum redeuntem exhibens falso explicata est Arch. Ztg. V p. 141 pro Hymenaeo, qui longa cum face sponso in tibicina niso antecedat.

6) Cupidinem, non Hymenaeum praebent vasa picta, quae

Oxford, Univ.-Gal. n. 36.

[1]) Denti, illustraz. sopra un vaso greco-siculo, Palermo 1823; Inghirami, vasi fitt. t. 255 et 256; Gerhard, Ant. Bldw. tab. 59 p. 301 sq.; — arch. Intelligenzbl. 1834 p. 60; Welcker, alte Dkm. II p. 65, III p. 63 sq.; Müller-Wies. Dkm. II 36 n. 425; Müller, Hdb. § 384, 4.

[2]) Eros i. d. Vasenmal. p. 36.

[3]) De Witte, cab. Durand n. 116; Gerhard, anserl. gr. Vasenb. I taf. 53.

[4]) Hawkins, catal. of the Greek and Etruscan vases in the Brit. Mus. I n. 583.

[5]) Zahn, pomp. Wdgm. II 61; arch. Intelligenzbl. 1836 p. 74; Iahn, arch. Beitr. p. 378; Overbeck, Gal. p. 319; Helbig, Wdgem. Camp. n. 1305.

[6]) Helbig, Wdgem. Camp. n. 1469; alias scaenae explicationes vid. Bullet. d. I. 1847 p. 130; Bull. Napol. (a. s.) V p. 24; VI p. 1 not. 1; Iourn. des sav. 1852 p. 71.

afferuntur a Gorio, mus. Etrusc. II tab. 95 et a Passerio, pict. Etrusc. in vasc. I tab. IX, II tab. CLVII, III tab. CCXVII et CCXIX, id quod primo quidem aspectu licet cognoscere. Inepta sunt, quae illi disputaverunt de lorica munito Hymenaeo. Cf. Gori l. l. I p. 328. (II tab. 167); Passeri l. l. I, tab. 38 p. 45.[1])

7) Maffei, Gemme Antiche IV 22 gemmam affert Aeneae Vici, in qua adulescentem in cogitationibus defixum magna cum face ante aram stantem videmus. In ara vitta redimita ignis accensus est, cuius in flammis duo poma iacent; iuxta adulescentem parva columna est, in qua puer minutus stat nulla re insignitus, nisi quod baculo nititur. Atque adulescentem illum Maffei vocavit Hippomenem, puerum utique falso Hymenaeum. — Si gemma vere antiqua est, id quod nos quidem pluribus de causis non credimus, adulescens Hymenaeus nominari potest; esset sane haec gemma similis illi praestantissimae picturae Pompeis in *casa di Meleagro* repertae: hic et illic occurrunt forma dei iuvenilis, fax, ara, poma.

8) Sine severo iudicio Lenormantius et Wittius in opere, quod inscribitur *Elite des monuments céramographiques*, Hymenaei nomine in figuris explicandis usi sunt, quippe quibus deus nuptialis idem esse atque Amor. Cupidines vel Genios fidibus canentes semper fere vocaverunt Hymenaeos, cf. I pl. 84 p. 284 *La lyre dans la main d'Eros nous semble le caractériser de plus comme Hyménée.* — At longum est de omnibus eorum erroribus verba facere; cf. II pp. 257 et 262; III pl. XI p. 34; IV pl. L p. 180.

9) In moneta Perinthiorum sub Severi Alexandri imperio cusa quem dixit Uhdenius[2]) deum nuptialem, Satyrum esse iam Müllerus recte cognovit.

10) Restat, ut hoc loco pauca de gemma Tryphonis[3]) viro-

---

[1]) »Quid ultra? Hymenaeus facem attollit. Hinc vel ex unico argumento intelligimus deum hunc Etruscis ignotum non fuisse. Notandum vero est thoracem illius esse penitus Samniticum, quemadmodum catenula supra pectus decupata, quae ornamenta saepissime observabimus Samniticis militibus attributa cum galea illi nationi convenientissima.«

[2]) Vid. Iacobs, verm. Schrift. V tab. II p. 436; (Denkschr. d. kgl. Acad. d. W. in München, V tab. I;) Müller-Wies. Dkm. II 35 n. 417.

[3]) Spon, misc. sect. I art. III p. 7; Lippert, Dactyl. M. I n. 843; Choice of the gems of Marlborough I pl. 50; Montfaucon, A. E. I 1 pl. 121; Millin, G. M. 41, 198; Hirt, Bldb. II p. 223; Müller-Wies. Dkm. II 54 n. 683;

rum doctorum controversiis nobilissima dicamus. Koehlero et Brunnio eam saeculo XVI scalptam esse suspicatis summa iniquitate adversatus est Stephanius contendens opus excepta inscriptione antiquum esse. Spectantur in gemma nuptiae Cupidinis et Psyches; sponsus sponsaque capitibus velatis una incedunt ducti lino laneo ab Hymenaeo facem gestante, dum alter duorum Cupidinum lectum parat genialem, alter fiscinam fructibus repletam super amantium capita tollit.

At iure nobis illi viri docti hac re offendisse videntur, quod velatum sponsum et illum fiscellae usum nusquam alibi spectamus; est vero haec maxima difficultas, quam Stephanius nostra opinione frustra expedire conatus est.

Hanc de dei nuptialis imaginibus disputationem optime nobis concludere videmur commemorantes imaginem Hymenaei medio aevo confectam, quae primum ab Ant. Springero [1]) in psalterio illustrato medii aevi, quod a Trajecto ad Rhenum appellatur, ad psalmum XVIII cognita est. Pictor hunc versum illustrare voluit: *et ipse (deus) velut sponsus egrediens de thalamo suo exsultabit velut gigans viam currere; a summo coelo profectio* etc. Quod fecit hunc in modum: deus a duobus angelis ductus in limine templi stat, iuxta quod eminet e terra superiore corporis parte Hymenaeus adulescens coronatus magnam facem sinistra tenens; data autem deo nuptiali facies Davidis. [2])

Boettiger, Id. z. Kunstmyth. II p. 444 sq.; — opusc. Lat. p. 416 sq.; Köhler, ges. Schr. III pp. 201 et 357; Brunn, gr. Künstl. II p. 635; Stephani, C. R. 1861, p. 169; 1862 p. 163; 1872 p. 168; 1877 p. 199; — über einige angebl. Steinschneider pp. 3—15; Michaelis, Entstehen u. Vergehen einer Antikensammlung (Arundelhouse.) Im neuen Reich VIII, 1878 n. 24 p. 934.

[1]) D. Psalterillustr. im fr. Mittelalt. p. 203 sq. (Abh. d. k. s. G. d. W. XIX.)

[2]) Apud doctos poetas initio saec. XVII Christus, qui ipse Hymenaeus vocabatur, huius suscepit partes. Cuius rei testimonio afferimus versus nonnullos sumptos ex epithalamiis in bibliotheca patria Lubecensi asservatis. Davidius Meisner, 1621:

Christe Hymenaee Hymen, primi Paranymphe parentis,
Huc venias taedisque feras sacra munera pacis.

Ioannes Reuter, 1635:

Et qui Christe Canae taedis dignatus adesse.

Michaelis Wolph, 1636:

— et Christus, qui vos in foedera cogit,
Coniugium hoc vobis det sine lite siet.

II. De Talasio.

Iam vero Hymenaeum relinquamus et aggrediamur Talasium, [1]) Romanorum deum nuptialem.

1.

Ac si primum quae nobis veteres *περὶ τοῦ πολυθρυλλήτου Ταλασίου* tradiderunt videmus, res nobis est non cum multis iisque diversis fabulis ut in Hymenaeo, sed cum una tantum, quae quidem ab omnibus auctoribus iisdem fere verbis vel mediocriter tantum mutata narratur. Omnes enim ea in re consentiunt, quod Talasium dicunt ducem Romuli fuisse, cui in Sabinarum raptu pulcherrima virgo obtigerit. Festus p. 351 s. v. *Talassionem in nuptiis Varro ait signum esse lanificii, τάλαρον id est quasillum, inde enim solitum appellari Talassionem. at...... historiarum scriptor Talassium ait nomine virum rapta virgine unicae pulchritudinis, quod ei id coniugium fuerit felix, boni ominis gratia nunc redintegrari.* [2])

---

[1]) Tres exstant nominis formae: a) Talasius (Catull. LXI 134. Plutarch. qu. Rom. 31. Romul. 15) sive Talassius, Thalasius, Thalassius (Liv. I 9, 12.) b) Talassus (Mart. V 42, 4. c) Talassio (Mart. I 35, 6 et 7; III 93, 25; Sidon. Apoll. ep. I, 5.) vel Thalasio (Serv. ad Aen. I 651), vel Thalassio (Verg. Catal. IV 8; V 15.) Utebantur autem iis veteres sine ullo discrimine. Falsa enim Siebdratii distinctio (Theocr. epithal. Hel. p. 35), qui Talassionem carmen, Talassium carminis proprium obiectum valere voluit. (Apud Servium ad Aen. I 651 Talassio dux Romanus est.) — Easdem vocis formas habemus etiam in virorum nominibus: 1) Talasius, episcopus Gratinopolitanus (append. ad Victor. Vitens.); Thalassius a) Antiochenus (Ammian. Marcell. XXII 9, 13); b) gener Ausonii (Auson. XI 2, 45; XIII 2, 44); c) amicus Libanii (vid. epistolas et orationem *ὑπὲρ Θαλασσίου*); d) episcopus Caesareae Cappadociae (Euagr. eccl. hist. II 4.) e) Helinnensis (Theodoret. de vit. patr. 22.) 2) Thalassus C. I. L. III n. 2375. Grammaticus Latinus apud Ausonium XVI 13. 3) Thalassio C. I. L. III n. 717 *ἐπὶ βασιλέως Θαλασσίωνος τοῦ Θαλασσίωνος.*

[2]) Cod. Leidensis (Y) fol. 71 praebet paullo diversa: Talassionem in nuptiis Varro ait signum lanificii, *τάλαρον* id est quasillum..... at..... historiarum scriptor ait Talassium militarem virum rapta virgine unicae pudicitiae ..... quod ei id cognomen (in margine coniugium) fuerit felix item ominis gratia nunc redintegrari. Cf. Mommsen, Festi cod. quatern. XVI p. 62 (Philol. u. hist. Abhdl. d. k. Acad. d. W. zu Berlin 1864.)

Ac videtur primo aspectu tantum prior explicationis pars fluxisse e Varrone; hoc vero loco comparato cum iis, quae apud Plutarchum leguntur de Talasio eodem quo apud Festum rerum ordine, facile intelligimus etiam alteram partem e Varrone esse sumptam. [1]) Plutarchum enim per Iubam regem Mauretaniae Varronis libros de antiquitatibus exscripsisse praeter alios Barthius,[2]) vir doctissimus, quem praematura morte litteris ereptum valde lugemus, et Glaesserus [3]) Heerenii [4]) vestigia secuti dilucide demonstrarunt.

Iam quaeritur quisnam fuerit historicus, cuius nomen inter verba *at — historiarum scriptor* intercidit. Id quidem perspicuum est, cum agatur de historico, quem Varro exscripserit, nobis de scriptore vetustiore cogitandum esse. Atque probatur nobis Mercklini coniectura, qui Gnaei Gellii nomen inserendum esse censet. [5]) Hunc uberius de Sabinarum raptu scripsisse patet ex Dion. Hal. II 31 et Charis. I p. 39. Iosephus Scaliger proposuit Atilium, de quo ut historiarum scriptore nihil scimus.

Ex Festi loco corrupto tantum rudimenta nostrae de Talasio fabulae cognoscuntur, quam si volumus ornatiorem et ampliorem audire, adeamus oportet Plutarchum ter de ea verba facientem, Romul. XV,[6]) Qu. R. XXXI, Pomp. IV. Mutuatus autem est hic, ut supra diximus, fabulam ex Iubae Mauretani siquarum argumenta e Varrone sumpta erant.

Pomp. IV *ὅτε γὰρ θυγατέρας τῶν Σαβίνων ἐπὶ θέαν ἀγῶνος εἰς Ῥώμην παραγενομένας οἱ πρωτεύοντες ἀρετῇ Ῥωμαίων ἥρπαζον αὑτοῖς γυναῖκας. ἄδοξοί τινες αἰπελάται καὶ βοτῆρες ἀράμενοι κόρην καλὴν καὶ μεγάλην ἐκόμιζον· ὅπως οὖν μὴ προστυχών τις ἀφέληται τῶν κρειττόνων, ἐβόων θέοντες ἅμα Ταλασίῳ· τῶν δὲ χαριέντων καὶ γνωρίμων τις ἦν ὁ*

---

[1]) Cf. Mercklin, Ind. schol. Dorpat. 1860 p. 13; Soltau, de Plutarchi font. in sec. bell. Pun. p. 7; Peter, Quell. d. Plut. p. 155; Mirsch, de Varr. ant. rer. hum. Lpz. Stud. V 1882 pp. 9 et 63.

[2]) De Iubae ὁμοιότησιν a Plut. expr. p. 14.

[3]) De Varron. doctr. ap. Plut. vest., Lpzg. St. IV p. 184.

[4]) De font. et auctor. vit. parall. Plutarchi.

[5]) L. l. p. 13.

[6]) Hunc locum exscripsit Iosephus Scaliger in collectaneis ab ipso confectis: *Ἱστοριῶν συναγωγή. Ὀλυμπιάδων ἀναγραφή.* Thes. temp. p. 384. Cf. Fabr. Bibl. Gr. VI p. 36.

Ταλάσιος, ὥστε τοὺς ἀκούσαντας τοὔνομα κροτεῖν καὶ βοᾶν οἷον συνηδομένους καὶ συνεπαινοῦντας· ἐκ τούτου φασὶ (καὶ γὰρ εὐτυχὴς ὁ γάμος ἀπέβη τῷ Ταλασίῳ) ταύτην τὴν ἐπιφώνησιν μετὰ παιδιᾶς γενέσθαι τοῖς γαμοῦσιν. οὗτος ὁ λόγος πιθανώτατός ἐστι τῶν περὶ τοῦ Ταλασίου λεγομένων.

Item ex Varrone vel potius ex auctore ad illum referendo hausit fabulam omittens priorem explicationis partem S. Aurelius Victor sive alius qui librum de viris illustribus conscripsit, cap. II — *raptae sunt virgines. Ex quibus cum una pulcherrima cum magna omnium admiratione duceretur, Talassio eam duci responsum. Quae nuptiae quia feliciter cesserant, institutum est, ut omnibus nuptiis Talassii nomen invocaretur.* — Ea enim res, quod in fine narratiunculae non aliter atque apud Varronem et Plutarchum [1]) *αἰτία* consuetudinis nuptialis, scilicet felix Talasii coniugium, affertur, nostra opinione satis demonstrat auctorem eundem vel simillimum fontem habuisse. At Hildesheimerus, [2]) quamquam libri de viris illustribus auctorem multa ex Varrone sumpsisse concedit, [3]) ea quae tradantur ab utroque de Talasio valde inter se discrepare censet. Quae res nullo alio modo explicari posse videtur nisi quod ille etiam posteriorem partem explicationis, quae legitur apud Festum, ad Varronem esse referendam parum novit.

Alio fonte ac scriptores, quos adhuc nominavimus, usus est Livius, quod iure nobis contendere videmur, cum ab illo coniugium Talasii felix fuisse non afferatur; I 9 *Unam longe ante alias insignem specie ac pulchritudine a globo Talasii cuiusdam raptam ferunt, multisque sciscitantibus cuinam eam ferrent, identidem, ne quis violaret, Talasio ferri clamitatum. Inde nuptialem hanc vocem factam.*

E quo annalium scriptore haec sumpserit Livius, iam non diiudicari potest.

Haec autem fabula est quasi fundamentum, cuius, si omnia quam accuratissime perscrutamur, tres tantum leves reperimus mu-

---

[1]) Rom. XV *καὶ γὰρ εὐτυχίᾳ φασὶ χρήσασθαι περὶ τὴν γυναῖκα τὸν Ταλάσιον.* Qu. Rom. XXXI *εὐτυχοῦς γάμου γενομένου.*

[2]) De vir. illustr. qu. histor., Berolin 1880 p. 24.

[3]) L. l. p. 65 sq.

tationes. Quarum prima occurrit apud Hieronymum in additamentis ad Eusebii chronic. I ed. Schoene p. 81 — *Circensibus adornatis Consualibus ludis Sabinae raptae sunt anno a. u. c. tertio, et una virginum pulcherrima cunctarum acclamatione rapientium Talasso duci Romuli decernitur. Unde in nuptiarum solemnitatibus Talasso vulgo clamitant, quod scilicet talis nupta sit, quae Talassum habere mercatur.* — Est igitur fabula paullo mutata vel ut accuratius dicamus corrupta. Hausit vero Hieronymus Mommseni [1]) viri clarissimi opinione e perdita quadam Latina historia de origine gentis Romanae verba Livii tum contaminante tum dilatante.

Alteram fabulae nostrae mutationem apud Servium ad Verg. Aen. I 651 reperimus, quem descripsit mythographus Vaticanus II 219. Pergit ille, postquam Hymenaeum *inter bella saevissima* virgines liberasse dixit, quamobrem quasi liberator virginitatis cantaretur: *hinc etiam apud Romanos Talasio invocatur. Cum enim in raptu Sabinarum plebeius quidam raptam pulcherrimam duceret, ne ei auferretur ab aliis, Talasionis eam ducis nobilis esse simulavit, cuius nomine fuit puellae tuta virginitas.*

Ac nostra quidem opinione Siebdratius [2]) recte iudicavit fabulam a Servio ipso mutatam esse, ut melius posset conferri Talasius cum Hymenaeo. Tota autem narratio nihil valet ad nuptiarum consuetudinem explicandam.

Aliter fabula ab Isidoro etymol. XV 3, 6 narratur: *Thalamum hac ex causa vocatum ferunt. Cum enim raptae fuissent a Romanis Sabinae, ex quibus cum una ante alias specie nobilis cum magna omnium admiratione raperetur, Talamoni* [3]) *dari eam oraculo responsum est, et quoniam hae nuptiae feliciter cesserant, institutum est, ut in omnibus nuptiis thalami nomen iteraretur. Aegyptii quoque lingua sua loca, in quibus nubentes succedunt et incubant, thalamum nominant.* [4])

---

[1]) Ueber d. Chronographen v. J. 354. pp. 680 et 691. (Comm. soc. Saxon. hist. et philol. Lips. 1850.)

[2]) Theocr. epithal. Helenae p. 31.

[3]) Hanc codicum lectionem iure Arevalus et Otto mutaverunt in Tassioni, id quod etiam locus Papiae (vid. not. 4) demonstrat.

[4]) Ex Isidoro hausit Papias s. v. Talassius dici fertur, quia,

Isidorus fabulam ex libro de viris illustribus hausit, addidit vero non contentus fabula verbotenus descripta quaedam ab ipso inventa (oraculo responsum).[1]) Utebatur illa, ut vocem thalamum explicaret Habemus igitur fabulam non puram, sed corruptam, in qua non est cur diutius commoremur.

Haec fabula de Talasio sane simplicissima est. At non omnes in iis, quae vulgo tradebantur, acquieverunt, sed ingenio studiisque freti originem vocis consuetudinisque aliter explicare conati sunt. Quo in numero Plutarcho teste[2]) erat Sextius Sulla Carthaginiensis *οὔτε μουσῶν οὔτε χαρίτων ἐπιδεὴς ἀνήρ*. Hic enim Plutarcho dixerat: *ὅτι τῆς ἁρπαγῆς σύνθημα τὴν φωνὴν ἔδωκε ταύτην ὁ Ῥωμύλος. ἅπαντες οὖν ἐβόων τὸν Ταλάσιον οἱ τὰς παρθένους κομίζοντες· καὶ διὰ τοῦτο τοῖς γάμοις παραμένειν τὸ ἔθος.* — Hunc locum Huschkius[3]) ita explicat: *den ursprünglichen Sinn der Sage traf aber gewiss Sextius Sulla aus Carthago: Romulus habe den Seinen Befehl gegeben, beim Raube Thalasius auszurufen, um nämlich auf eine den Sabinerinnen verständliche Weise sie zu versichern, dass man sie nicht in böser Absicht, etwa um sie zu Sclavinnen zu machen, rauben, sondern sie zur Ehe nehmen wolle.* — Haec autem in Plutarchi verbis non insunt, quamquam negare nolumus Sextium Sullam fortasse hac de re cogitasse.

Alii ac plerique quidem Talasium vocem et nuptiarum consuetudinem etymologice explicare studuerunt. Repetebant autem vocem a Graeco *τάλαρον*, quae etymologia iam apud Varronem reperitur.

Festus s. v. Talassionem p. 351: *Talassionem in nuptiis Varro ait signum esse lanificii, τάλαρον id est quasillum, in-*

---

cum Sabinae raperentur, una elegantissima exstitit, quam ab oraculo Talassio duci responsum est dari ab his, qui feliciter actis nuptiis Talassii nomine usi sunt. Hoc etiam apud Aegyptios.

[1]) Cf. Hildesheimer, l. l. p. 51.

[2]) Romul. XV.

[3]) Osc.-sabell. Sprachdkmlr. tit. IV; Similia Hartungius de voce illa sensisse videtur, Philol. III p. 238: dieser Ruf sollte die Weinenden trösten.

de enim solitum appellari Talassionem. Pauli excerpt. p. 350. *Talassionem in nuptiis Varro ait signum esse lanificii. Talassionem enim vocabant quasillum, qui alio modo vocatur calathus, vas utique ipsis lanificiis aptum.*

Ex Varrone sumpsit etymologiam Iuba rex, ex quo Plutarchus hausit, Romul. XV *οἱ δὲ πλεῖστοι νομίζουσιν, ὧν καὶ ὁ Ἰόβας ἐστί, παράκλησιν εἶναι καὶ παρακέλευσιν εἰς φιλεργίαν καὶ ταλασίαν. οὕτω*[1]) *τότε τοῖς Ἑλληνικοῖς ὀνόμασι τῶν Ἰταλικῶν ἐπικεχυμένων· εἰ δὲ τοῦτο μὴ λέγεται κακῶς, ἀλλ᾽ ἐχρῶντο Ῥωμαῖοι τῷ ὀνόματι τῆς ταλασίας καθάπερ ἡμεῖς, ἑτέραν ἄν τις αἰτίαν εἰκάσειε πιθανωτέραν. ἐπεὶ γὰρ οἱ Σαβῖνοι πρὸς τοὺς Ῥωμαίους πολεμήσαντες διηλλάγησαν, ἐγένοντο συνθῆκαι περὶ τῶν γυναικῶν, ὅπως μηδὲν ἄλλο ἔργον τοῖς ἀνδράσιν ἢ τὰ περὶ τὴν ταλασίαν ὑπουργῶσι. παρέμεινέ γ᾽οὖν καὶ τοῖς αὖθις γαμοῦσι τοὺς διδόντας ἢ παραπέμποντας ἢ ὅλως παρόντας ἀναφωνεῖν τὸν Ταλάσιον μετὰ παιδιᾶς μαρτυρομένους, ὡς ἐπ᾽ οὐδὲν ἄλλο ὑπούργημα τῆς γυναικὸς ἢ ταλασίαν εἰσαγομένης.*[2]) Alias res ad lanificium spectantes affert Plutarchus qu. R. XXXI *διὰ τί ὁ πολυθρύλλητος ᾄδεται Ταλάσιος ἐν τοῖς γάμοις; πότερον ἀπὸ τῆς ταλασίας; καὶ γὰρ τὸν τάλαρον τάλασον*[3]) *ὀνομάζουσι· καὶ τὴν νύμφην εἰςάγοντες*

---

[1]) Sic cum anonymo quodam (vid. edit. Plutarchi Francofurt. 1620, var. lect. p. 95), quem plerique viri docti recentioris aetatis secuti sunt, pro *οὔπω*, quod praebent codices, scribimus. Nam cum *τοῖς ἑλληνικοῖς ὀνόμασι* sine dubio dativus qui dicitur instrumentalis sit (cf. Dioscor. I 18 *ἐπιχυθεὶς γάλακτι*; Lucian. asin. 47 *νάπυϊ ἐπικεχυμένους*), hoc loco, si legeretur *οὔπω*, evaderet sane sensus contrarius iis, quae a Plutarcho alibi proferuntur; Numa 7 *τῶν ἑλληνικῶν ὀνομάτων τότε μᾶλλον ἢ νῦν τοῖς Λατίνοις ἀνακεκραμένων*; Marcell. 8 *κατὰ τὴν ἑλληνίδα γλῶσσαν ἔτι πολλὴν τότε συμμεμιγμένην τῇ Λατίνων*. — *Οὕτω* autem, ut Foerster monet, non tam valet tantopere, quam tali modo scil. qualis in hac etymologia ponenda sit. Ea denique res, quod Plutarchus hoc loco dubitare videtur, num revera veterrimis temporibus Latina lingua ita Graecis vocabulis superfusa fuerit (*εἰ δὲ τοῦτο μὴ λέγεται κακῶς* etc.) nos offendere non potest, cum scriptor ubique opinionem illam non ut suam, sed ut aliorum protulerit.

[2]) Cf. Romul. XIX et Qu. R. LXXXV.

[3]) Quid sibi velit Barthius (misc. phil. Götting. 1876 p. 76) scribens: *καὶ γὰρ τὸν τάλαρον κάλαθον ὀνομάζουσι* nos quidem nescimus. Est sine dubio recta Brissonii (de vet. rit. nupt. p. 95) emendatio, qui codicum lectionem *τάλαντον* mutavit in *τάλασον* vel *ταλάσιον*, cum ita demum si-

νάκος ὑποστρωννύουσιν· αὐτὴ δ' εἰσφέρει ἠλακάτην καὶ τὴν ἄτρακτον, ἐρίῳ δὲ τὴν θύραν περιστέφει τοῦ ἀνδρός.

Videmus igitur veteres homines doctos multum operae laborisque consumpssise in etymologica Talasii vocis explicatione, quam ut firmarent multa ex historia rituque nuptiali argumenta arcessiverunt. Quare non mirum est, quod haec explicatio magnam sibi antiquis temporibus conciliavit auctoritatem.

At de alia quoque Talasii vocis etymologia cogitasse veteres conicere licet ex iis quae leguntur apud Festum p. 358 *Tallam*[1]) *Cornificius posuit unde et Talassus. Tallam alii folliculum cepae.* — Id quidem apertum est post vocem *Cornificius* vel post *posuit* quaedam intercidisse, cum non dicatur, pro[2]) qua re, qua in significatione Cornificius usus sit voce *talla*. Quaerendum igitur, quae verba illo loco interciderint. Qua in re id primum statuendum esse videtur duo illa enuntiata artissime cohaerere, cum ita tantum *tallam* accusativus in posteriore enuntiato explicari possit. Reicienda hac de causa est coniectura Iosephi Scaligeri, qui scribere voluit: *tallam alii folliculum vel cepae.* At usus est Cornificius voce talla ad Talasii nomen explicandum, unde tallam habuisse vim nuptialem patet. Quae vero fuerit primaria significatio vocis verba *folliculum cepae* nobis aperte ostendunt. Folliculus enim valet non solum cutem[3]) leguminum, grani, arborum, pecudum hominumque, sed etiam, quod nobis gravissimum est, vulvam muliebrem. Serv. ad Verg. G. III 136

militudinem verborum comparatorum nanciscamur. Idem Glaesserus animadvertit l. l. p. 188.

[1]) Pro taliam scribendum esse tallam recte iam Scaliger cognovit; cf. Lucil. ap. Non. p. 201. (162 Lachm.)

Flebile cepe simul lacrimosaeque ordine tallae.

Gloss. Philox.: talla *χρομμύου λέπυρον.*

[2]) Ponere semper cum pro praepositione apud Festum coniunctum est.

[3]) Cf. Senec. quaest. natur. V 18 nisi esset quod latentem frugem ruptis velamentis suis, quae folliculos agricolae vocant, adaperiret; Senec. ep. 124 cum spica se exserit folliculo; cf. August. d. civit. d. II 17; Papias s. v. folliculus. Plin. h. n. XXIV 8, 33 folliculus arboris; — 12, 37 folliculus cuiuslibet animalium. Lucil. ap. Non. p. 110 ego si qui sum, et quo folliculo nunc sum indutus etc.

genitali arvo; pro muliebri folliculo, quem (scilicet) vulvam vocant, ut etiam Plinius docet: nam ante folliculus dicebatur. — Conicimus igitur scribendum esse apud Festum: *Tallam Cornificius posuit (pro muliebri folliculo), unde et Talassus.* — Haec autem etymologia Talasii vocis optime respondet illi Graecorum, qua trahebatur Ὑμέναιος ab ὑμήν, neque indigna est, quae ad Cornificium auctorem referatur. [1])

Atque haec omnia sunt quae nobis veteres de Talasio deo tradiderint, paucissima sane, si cum Hymenaeo conferuntur. Eandem vel potius Talasio etiam iniquiorem rationem reperimus scrutati, quoties nomina Talasius et Hymenaeus occurrant antiquis in litteris: cum enim Hymenaeus vox sexcenties inveniatur, de Talasio omissis illis fabulae narrationibus merisque vocis explicationibus octies tantum, quantum nos videmus, audimus, scilicet semel apud Catullum,[2]) bis in Cataleptis Vergilianis,[3]) quater apud Martialem,[4]) semel apud Sidonium Apollinarem. [5])

---

[1]) Cf. alias Cornificii etymologias, Fest. p. 123 Minerva — armis minitans; p. 166 Nare — a nave ductum, quod aqua feratur natans ut avis; p. 170 Nuptiae — quod nova petantur coniugia; vid. etiam p. 194 s. v. oscillantes; p. 217 s. v. putum; Macrob. sat. I 9, 11; 17, 9.

[2]) LXI 128 satis diu
Lusisti nucibus: lubet
Iam servire Talasio.

[3]) IV 8 Talassio! Talassio! Talassio!
(Cf. Marium Victorin. ars grammat. II.)
V 14 Et inscio repente clamatum insuper
Talassio! Talassio!

[4]) I 35, 6 Quid si me iubeas Talassionem
Verbis dicere non Talassionis?
III 93, 24 Sternatur a Coride archiclinico lectus,
Talassionem qui tuum decet solus.
XII 42, 3 Praelucere faces, velarunt flammea voltus
Nec tua defuerunt verba, Talasse, tibi.
XII 95, 4 sed puella
Sit tecum tua, ne Talassionem
Indicas manibus libidinosis
Et fias sine femina maritus.

[5]) Ep. I 5 per omnia theatra, macella, praetoria,

Haec autem res nulla alia ratione explicari potest nisi quod Talasius priscus sine dubio nuptialis Romanorum deus paulatim ab Hymenaeo, Graecorum deo, loco suo demotus est. [1]) Valet hic quoque Horatianum illud:

Graecia capta ferum victorem cepit.

Quid quod suspicari licet totam illam Talasii cum Sabinarum raptu coniunctionem ortam esse ex Graeca de Hymenaeo fabula, quae item de virginibus raptis et de coniugio felicissimo agebat. Habet sane haec coniectura, quamquam certis argumentis firmari non potest, probabilitatem quandam; rectissime Prellerus iudicavit, röm. Myth. p. 694: *auch die römische Sage ist kein Produkt der Dichtung, sondern der Stadtchronik, ein Gewebe griechischer und römischer Sagenschreiber, von denen die letzteren sich meist durch die ersteren bestimmen liessen.*

2.

Iam vero de origine naturaque dei nostri agamus! Ac priusquam opinionem, quam de ea re concepimus, proferamus, quae homines docti iudicaverunt, examinemus.

Hartungius[2]) exclamationem illam Talassio vel Talasse non secus ac Graecum Ὑμὴν ὦ Ὑμέναιε spectare voluit ad coniugii fecunditatem et existimavit explicationem Sextii Sullae secutus Talasium vocem signum fuisse impetus rapientibus. De radice verbi nihil affert.

Rossbachii[3]) opinione Talasius sationis agrorumque erat deus, unus idemque ac Consus, cuius iussu Sabinae virgines rapiebantur. Trahit autem vocem a radice ταλ (*ferre*) — ἔτλην,

---

fora, templa, gymnasia Talassio fescenninus explicaretur. (Quin falsa sit codicum nonnullorum lectio thalassia dubium non est.)

[1]) Si vera essent quae Düringsfeld l. l. p. 54 de Dacorum voce nuptiali »nuntalassi« eiusque origine a Talasio trahenda affert, deum nostrum in sermone populari diutius locum tenuisse conicere liceret. At res nobis maxime dubia esse videtur. Fontem, unde hausit Düringsfeld, reperire non potuimus; duo vero Rumaeni, quos ipsi de ea re percontati sumus, se vocem illam unquam in nuptiis audisse negaverunt.

[2]) Rel. d. R. II p. 245.

[3]) L. l. p. 331 et 340.

τλήσομαι, τάλας, τελαμών, Tellus, (t)latus. Esset igitur Talasius deus subterraneus semina quasi in gremio ferens.

Huschkius[1]) repetit vocem a *θαλ* stirpe et Talasium nuptialem Sabinorum deum fuisse existimat. Verba tituli Sabini, de quo agit l. l. *iuve talseture* vertit *Iovi Talasio*. Est autem hic Iupiter Talasius eius opinione idem ac *Ζεὺς Ταλλαῖος* Cretensium.

Prellerus[2]) Talasium Quirini cognomen fuisse suspicatus de stirpe vocis nihil affert.

Longe aliter Mercklinus[3]) iudicat, qui Consum eundem ac Neptunum fuisse cognomenque Neptuni *θαλάσσιος* in Consum delatum esse censet.

Marquardtius[4]) denique nihil de etymologia vocis scribens veteribus obsoletisque diis Talasium adnumerat.

Nos quidem hac in quaestione eandem atque in Hymenaeo disserendi rationem tenentes primum investigemus, qualis deus fuerit principio Talasius. Haec autem res non ita difficilis! Considerantes enim artissimam illam agriculturae coniugiorumque coniunctionem, de qua supra diximus, facile adducimur, ut Talasium non aliter atque Hymenaeum deum fertilitatis et agrorum gregumque et humanorum matrimoniorum fuisse dicamus. Haec procreandi vis spectatur etiam in vocis radice, quae nostra opinione est *θαλ — florere, germinare.* Haec stirps, etsi in lingua Latina iam non exstat, saepissime occurrit in Graecis vocibus: *θάλλω, θαλέθω* (Hom. Od. XXIII 191), *θάλος, θαλλεῖον, θάλεια, θαλερός, τᾶλις.*[5]) *Θάλεια* etc.; quid quod deas habemus Graecorum Talasio deo agresti simillimas, quarum nomina formata sunt ex eadem radice *θαλ*? *Θαλλὼ* enim verna erat Atheniensium Hora, *Θάλεια*

---

[1]) L. l. V.

[2]) R. M. II p.216.

[3]) Ind. schol. Dorpat 1860 p. 14.

[4]) Privatleb. d. Röm. I p. 85 n. 5.

[5]) Sophocl. Antig. v. 629

ἆρ' ἀχνύμενος τῆς μελλογάμου
τάλιδος ἥκει μόρον Ἀντιγόνης·

Cf. schol. ad loc. *τᾶλις λέγεται παρ' Αἰολεῦσιν ἡ ὀνομασθεῖσά τινι νύμφη. Καλλίμαχος· αὐτίκα τὴν τᾶλιν παιδὶ σὺν ἀμφιθαλεῖ*; Hesych. s. v. *τᾶλις· οἱ δὲ γυναῖκα γαμετήν, οἱ δὲ νύμφην*; Pollux III 45 — *τῆς μελλογάμου· ταύτην δὲ καὶ τᾶλιν καλεῖ* (sc. ὁ *Σοφοκλῆς*.)

autem dea agrestis, cui Plutarcho[1]) teste adscribebant *φυτῶν καὶ σπερμάτων εὐθαλούντων καὶ βλασταινόντων ἐπιμέλειαν καὶ σωτηρίαν.*

Est igitur sane verisimile Talasium quoque nostrum fuisse principio deum veris, quo inprimis spectatur germinatio. Hoc vero fere unicum et solum est, quod de eo cum aliqua probabilitate proferri possit, cum de deo ipso, cuius cognomen fuerit Talasius, tantum coniecturas liceat proponere.

Quibus praemissis eam coniecturam, quae nostra opinione prae ceteris maximam habet probabilitatem, explicabimus.

In summa testimoniorum inopia quaestionem ab aliis institutam, cuiusnam gentis Italorum Talasius fuerit proprius deus, omnino omittendam esse censemus. Ea enim ex re, quod Talus Sabinorum erat praenomen,[2]) profecto non sequitur Talasium fuisse deum Sabinum. Longius igitur Prellerus nobis videtur processisse Talasium Quirini fuisse cognomen contendens. Nihilominus idem recte iudicavit de natura dei nuptialis: Quirinus enim Sabinorum idem est deus atque Romanorum Mars,[3]) a quo Talasius, si recte existimamus, repetendus est. Haec coniectura quibus firmetur rebus, paucis exponemus.

Omnes fere qui de Marte deo verba fecerunt, etsi diversas opiniones de eius propria natura et de Martis vocis etymologia protulerunt,[4]) eum veris agrorumque fuisse deum consentiunt, id quod etiam multa veterum testimonia perlucide demonstrant.[5])

---

[1]) Qu. symp. 9, 14. Ad Thaliam Musam vis illa refertur in schol. ad Apollon. Rhod. III 1 *Θάλεια δὲ γεωργίαν καὶ τὴν περὶ τὰ φυτὰ πραγματείαν* (sc. *λέγεται εὑρεῖν*).

[2]) Fest. p. 359 Talus in Sabinorum nominibus praenominis loco videtur fuisse; Dion. Hal. II 46 *Τάλλος τύραννος*. Apud Vergilium Aen. XII 513 occurrit Talus Rutulus.

[3]) Cf. Prell. R. M. p. 327 sq.

[4]) Cf. Hartung, Rel. d. R. p. 169; Corssen, Form. u. Bed. d. Namens Mars p. 32 sq. (Ztschr. f. vergl. Sprchf. II 1853); Preller, R. M. p. 294 sq.; Roscher, Apollo u. Mars p. 24; Reifferscheid, ind. schol. Vratisl. 1882—83; Mommsen, r. G. I p. 166; Max Müller, Vorles. II p. 355; Schwegler, R. G. I p. 228, 1.

[5]) Vid. Caton. de r. r. cap. 141 agrum lustrare sic oportet: .... Mars pater te precor quaesoque, uti siesv olens propitius mihi domo familiaeque nostrae, quoius rei

Quadrat igitur haec progenerandi vis optime ad nuptiarum deum: minime tamen coniecturae nostrae sufficit. Sunt potius afferenda certa argumenta, quibus Martem a veteribus cum nuptiis coniunctum esse eluceat.

Atqui ex ea re, quod Mars filius dicebatur Iunonis, summae matrimoniorum deae, nihil sequi videtur. Alia vero res est quod ille una cum Iunone a matronis Romae colebatur;[1]) licet enim cum probabilitate quadam conicere hunc usum antiquissimis e temporibus, quibus Mars erat deus coniugalis, esse servatum. Postea haec coniugalis vis ad Picumnum et Pilumnum, quos ex Marte ortos esse constat,[2]) delata est; Varrone[3]) enim teste *natus si erat vitalis ac sublatus ab obstetrice, statuebatur in ter-*

---

ergo agrum terram fundumque meum suovetaurilia circumagi iussi, ut tu morbos visos invisosque, viduertatem vastitudinemque, calamitates intemperiasque prohibessis, defendas, averruncesque, utique tu fruges frumenta vineta virgultaque grandire beneque evenire sinas, pastores pecuaque salva servassis, duisque bonam salutem valetudinemque mihi domo familiaeque nostrae. — Hieronym. d. vit. patr. I 27 Mars. .. pecudum aliarumque rerum cupidus inducitur. — Ad eandem rem spectant cognomina dei: Campestris (inscr. Lat. Orelli nn. 1355, 1356, 3496.) et Silvanus (Cat. d. r. r. cap. 83). Idcirco Mars etiam a fratribus arvalibus carmine invocabatur, ut frugibus bonum eventum daret. Merito autem a deo veris mensis ille, quo maxime terrae animaliumque regeneratio cernitur, nominatus erat; scilicet Martio mense (Ovid. Fast. III 235)

Arboribus redeunt detonsae frigore frondes,
Vividaque e tenero palmite gemma tumet,
Quaeque diu latuit nunc se qua tollat in auras
Fertilis occultas invenit herba vias:
Nunc fecundus ager, pecoris nunc hora creandi,
Nunc avis in ramo tecta laremque parat.

[1]) Ovid. Fast. III 169

Cum sis officiis, Gradive, virilibus aptus,
Dic mihi, matronae cur tua festa colant.

v. 761

Mater amat nuptas: matris me turba frequentant,
Haec nos praecipue tam pia causa decet.

[2]) Cf. Preller, röm. Myth. p. 331.

[3]) Apud Non. Marcell. p. 518; cf. Serv. ad Verg. Aen. X 76 Varro Pilumnum et Picumnum infantium deos esse ait eisque pro puerpera lectum in atrio sterni etc.

ra, ut auspicaretur rectus esse, diis coniugalibus Pilumno et Picumno in aedibus lectus sternebatur.

Omnium vero argumentorum, quae hic possunt afferri, gravissimum est, quod Nerio, quam quidem Sabini uxorem Martis habebant, dea erat proprie nuptialis.[1]) Hoc elucet ex Gellio N. A. XIII 22, 13, ubi invocatur ab Hersilia: *Neria Martis te obsecro pacem dare, uti liceat nuptiis propriis et prosperis uti.* Eandem Nerienem fuisse principio deam agriculturae patet ex fragmento satirae Menippeae Varronis, quae inscripta erat *Σκιομαχία*.[2]) Nominantur duobus versibus deae ad agrorum vel arborum cultum spectantes:

Te Anna ó Peranna, Pánda Cela,[3]) *té Pales,*
Neriénes (et) Minerva, Fortuna ác Ceres.

Accedunt duo argumenta quae quanti sint haud ignoramus. Coniugia Romanorum veteribus temporibus non aliter ac Graecorum[4]) raptu orta esse et fabula de Sabinis virginibus et mos nuptialis, quo sponsa e matris gremio rapiebatur,[5]) demonstrant. Omnis autem vis sub Martis auspiciis fiebat, ita ut nuptiae vi impetratae quodammodo Marti esse debitae dici potuerint. Ad nuptialem vim dei denique unguentum lupinum spectare videtur, quo novae nuptae postes oblinere solebant;[6]) lupus enim ut Apollini,[7]) ita Marti quoque erat sacer.

---

[1]) Cf. Reifferscheid, de Herc. et Iun. diis Ital. coniug. p. 359 (Annali d. I. XXXIX 1867); Preller, R. M. p. 302.

[2]) Ap. Gell. XIII 22, 4; Riese, Varr. sat. Men. reliqu. p. 219, 4.

[3]) Codd. praeb. t e l a t o; Mommsen, dialect. Ital. infer. p. 136 coniecit C e l a, t e.

[4]) Cf. Herod. VI 65; Plutarch. Lycurg. XV; Dion. Hal. II 30; Achill. Tat. II 13; Müller, Dor. II p. 278; Rossbach. röm. Ehe p. 213; Bernhöft, St. u. R. p. 176.

[5]) Fest. p. 289 r a p i s i m u l a t u r v i r g o e g r e m i o m a t r i s a u t s i e a n o n e s t e x p r o x i m a n e c e s s i t u d i n e, c u m a d v i r u m t r a h i t u r etc. Catull. LXI 56

T u f e r o i u v e n i i n m a n u s
F l o r i d a m i p s e p u e l l u l a m
D e d i s a g r e m i o s u a e
M a t r i s, o H y m e n a e e H y m e n !

[6]) Vid. Plin. h. n. 28, 9, 37; Serv. ad. Verg. Aen. IV 448; Rossb. l. l. p. 358; Karlowa, d. Form d. röm. Manus p. 31 not. 1.

[7]) Müller. Dor. I p. 303; Schwartz, d. ant. Apoll. nat. p. 37.

Haec autem sunt, quae de nuptiali et coniugali Martis vi afferri possint, quibus certa cum fide Talasium fuisse vetus Martis cognomen evadere haud contenderimus. Hoc vero dicere non veremur, coniecturam nostram nobis videri meliorem quam quae ab aliis propositae sunt. Ut enim omittamus coniecturam Mercklini, qui Neptunum a coniugiis sane alienissimum deum nuptialem facere studuit, [1]) neque Rossbachius neque Huschkius quae protulerunt ullo argumento potuerunt probare.

3.

Restat ut de Talasii imaginibus dicamus, id quod paucissimis verbis licet transigere. Nullam enim habemus dei imaginem, cum eae, quae forte Talasium ostendere dictae sunt, non illum, sed Hymenaeum praebeant; ita, ut afferamus exemplum, Panofka [2]) in tabula Pompeiana Iphigeniae sacrificationem exhibente quem credidit Hymenaeum, Talasium vocavit. Ille vero qui dicebatur [3]) Talasius in vase picto collectionis Middletoniae [4]) Sappho geniumque alatum praebente, inter quos legitur *ΤΑΛΑΣ.* nulla ratione noster deus esse potest. Quo enim modo fieri potuit, ut deus proprie Italicus in vase Graeco optimae artis aetatis fingeretur? Nullum dubium quin recte iudicaverit Iahnius, [5]) qui genium illum deum infausti amoris esse dixit *(Ἔρως τάλας.)*

---

[1]) Mercklinus non primus Talasium vocem ad mare spectare credidit. Ita enim Becmannus, de orig. l. L. s. v.: Servire Thalassio est Venerem sectari sive operam dare liberis. Venus e mari orta fingitur a poetis — quae ergo causa, cur non a *θάλασσα* formetur? Cf. Koehler, de Hym. et Talas. § 16 et Martinium, lex. phil.-etym. s. v. Simile quid Forcellini s. v. affert: sunt etiam qui censent, quia salsedo stimulat Venerem, unde et Venus e mari orta fingitur, hinc Thalassionem appellatum a *θάλασσα*.

[2]) Arch. Ztg. VI 1848, p. 72*; cf. Helbig, Wdgm. Camp. n. 1305.

[3]) Cf. Becker, Gallus II p. 25.

[4]) Catal. Durand p. 160.

[5]) Ueb. Darstell. gr. Dicht. a. Vasenbild. p. 714; (Abhandl. d. k. saechs. Ges. d. Wiss. VIII 1861); cf. etiam Koerte, üb. Personifik. psych. Affecte p. 80.

Haec autem summa imaginum Talasii dei penuria eadem sane causa orta est, qua rarissimus ipsius vocis usus: eodem enim modo, quo deus noster pellebatur ab Hymenaeo e sermone et litteris, ex artificiis quoque movebatur, si omnino in iis, id quod nos dubitamus, unquam effictus erat.

Menda typographica.

p. 8 not. 4 lin. 1 inter *exscripsit* et *scholiasta* inseras *Apollodorus e.*
p. 8 not. 4 lin. 2 legas *Clavierius.*
p. 10 lin. 18 legas *δ'* pro *δὲ.*
p. 11 lin. 3 legas *ei* pro *et.*
p. 14 lin. 2 legas *φησίν.*
p. 33 lin. 25 legas *obscaenis.*
p. 43 lin. 10 legas *meminerimus.*
p. 79 lin. 20 legas *esset.*

Theses.

I.

Plutarch. Romul. XV scribo cum anonymo (cf. diss. p. 86): *οὕτω* (codd. *οὔπω*) *τότε τοῖς Ἑλληνικοῖς ὀνόμασι τῶν Ἰταλικῶν ἐπικεχυμένων.*

II.

Sallust. orat. Lepid. § 14 legendum est: *simul humanas hostias vidistis et simulacra* (cod. *sepulcra*) *infecta sanguine civili.*

III.

Tacit. Agricol. 10 G. Radkium sodalem secutus ita emendandum esse puto: *Britannia, insularum quas Romana notitia complectitur maxima spatio, in orientem Germaniae, in occidentem Hispaniae obtenditur, Gallis in meridiem etiam coelo inspicitur.*

IV.

In vase picto Neapolitano apud Overbeckium, troisch. u. theb. Heldenkr. t. XXVIII nr. 4 p. 680 non Aegisthus Agamemnonem, sed Orestes Aegisthum interficiens repraesentatus est.

V.

Optandum est, ut in superioribus gymnasiorum classibus mythologia veterum accuratius simulque ita tractetur, ut etiam artis opera adhibeantur.

VI.

In adulescente, qui in anteriore Parthenonis tympano sedens spectatur, Bacchum agnoscendum esse nondum mihi omni dubitatione exemtum esse videtur.

Vita.

Richard Oscar Schmidt natus sum Hamburgi a. d. V Kal. Septemb. MDCCCLX patre Theodoro, quem praematura morte abreptum valde doleo, matre Helena de gente Kragh. Fidei addictus sum evangelicae.

Gymnasia frequentavi prius Francofurtense ad V., alterum Lubecense. Ac pio gratoque animo semper colam memoriam praeceptorum carissimorum, inter quos prae ceteris Iulius Schubring et Carolus Prien mihi nominandi sunt.

Anno LXXXII h. s. maturitatis testimonio instructus Berolinum me contuli recentium linguarum studiosus; mox vero mutato consilio antiquis litteris operam dedi. Berolini duo semestria commoratus Kiliam transmigravi universitatisque Christianae Albertinae civibus rite adscriptus sum.

Docuerunt me VV. DD. Blass, Delbrück, Erdmann, Foerster, Forchhammer, Glogau, Huebner, Koser, Krohn, Michaelis, Paulsen, Roediger, Scherer, Schirren, Schmidt, Tobler, de Treitschke, Zupitza, quibus omnibus gratias semper habebo, praecipue vero Richardo Foerstero, qui primus me ad studia mythologica et archaeologica impulit et, dum in iis versor, summa cum liberalitate consilio et auxilio adiuvit.

